Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nikolaus Reusner

Nicolai Reusneri Leorini IC. Comitis Palat. Caes. Symbolorum Imperatoriorum Classis ...

2 : Qua Continentur Symbola Impp. Caesarumq[ue] Romanorum Graecorum: a Fl. Constantino Magno, usque ad Carolum Magnum ...

Tertia Editio Multo Et locupletior, & ornatior, Francofurti: Francofurti: Porssius: Saurius, 1607

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn779456483

Band (Druck) Freier Zugang




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn779456483/phys_0001
DFG



II 4704 +o

E Bibliotheca
Ordinum Provincialium
Ducatus Megapolitani
Rostochiensi.

Liebe sc.

III. G. 1. 1.2. <R>

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn779456483/phys_0002
DFG

NICOLAI REVSNERI
LEORINI SILESII,

SYMBOLORVM IMPERATORIORVM

Classis Secunda.

QVA CONTINENTVR SYMBOLA IMPP. CÆSARVMQ; ROMANORVM GRÆCORVM: à Fl. CONSTANTINO MAGNO, vsque ad CAROLVM MAGNVM, primum Cæsarem Germanicum.

OPVS AVREVM, ET VERE POLITICVM, ac Regium.

Cum priuilegio Cæsareo, & Saxonico.

FRANCOFVRTI,

Typis Joannis Saurii, impensis Joannis Iacobi Porsii.

ANNO M.DC.VII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn779456483/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn779456483/phys_0004
DFG

AD SERENISSIMVM CELSISSIMVMQVE PRINCIPEM, DOMINVM ERNESTVM, EXARchum & Magnum Ducem Austriæ, &c. Proregem Hungariæ, DIVI MAXIMILIANI II. ROM. Imp. Cæs. Aug. F.

NICOLAI REVSNERI Juris. Præfatio.

QVi Principis munere & officio fungitur in Republica, ERNESTE Princeps sereniſſime, & Dux maxime: is profectò magno munere & graui ope pfũgitur. Nã cùm vita Principis, tanquam in ſublimi loco

mi loco posita, latere & in obscuro esse nequeat: omnium non modo factorum, sed & dictorum constare huic debet ratio: vt & animis eorum, qui in imperio sunt, & auribus pariter oculisq; seruiat. Quò maiore opus est cautione: ne is, ex quo virtutis innocentiæq; petuntur exempla, ipse in aliquo libidinis aut vitiositatis crimine comprehendatur. Quã ad rem haud scio, an quicquam sit vtilius aut accommodatius: quam si is, qui imperat, optimi cuiusque regis aut principis sapienter dicta & præclare facta ante oculos sẽper habeat: vt sic tanquam his spectãtibus rectè viuere, & omnia tanquam his præsentibus benè dicere & facere consuescat. Multum enim valet auctoritas: multum exemplorum dignitas: non solum ad bene viuendum, sed etiam ad recte imperandum. Quoniam longum iter est, vt Seneca docet, per præcepta: breue autem & efficax, per exempla: in quæ spectanti magis pa-

tet is,

tetis, qui in altiorem honoris gradum extenditur, auctore Fabio. Quanquam si præcepta sint breuia & illustria: quæ magnam doctrinam breui sententia comprehensam habeant: quoniam & animis percipiuntur facilius: & cum grauitate coniunctã habent venustatem & gratiam singularem. (Semper enim fere, vt in prouerbio est, χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ) minime profecto ea repudianda: sed potius omni cura & studio amplectẽda sunt. Cuius generis sunt gnomæ & sententiæ: quæ sunt veluti normæ quædam & Regulæ vitæ: quibus aut de officiis singulorum hominum ac moribus, aut de euentibus communibus præcepta continentur: quorum cognitio imprimis vtilis & necessaria est adolescentibus: vt viri aliquando facti, secundum Æschinem, vtantur iis in rebus maximis deliberandis aut consultandis. Nam & iudicium informant, & ingenium acuunt, & animum hominis varia optimarum & maxima-

rum rerum intelligentia præparant ad ciuilem prudentiam : quæ & in eo requiritur maximè , cui tota commissa est Respublica. Sed ex horum numero sunt etiam Apophthegmata, & ea, quæ ἀπομνημονεύματα Græci vocãt: qualia sunt Socratea illa apud Xenophontem: quę quoniam multiplicem & eximium quendam vsum in oratione & vita communi habent, ex eo χρεῖαι appellatæ sunt. Nam & hæ ipsæ, saltem personis detractis, sententiæ sunt: & voces quædam (vt Fabius nominat) vniuersales: quibus facilè, qui audiunt, moueri, atq; etiam assentiri solent: vnde Axiomata dicuntur, & fide digna pronuntiata: quẽadmodũ M. Tullius Cicero singulos Euripidis versus singula axiomata se putare scribit. Quæ quidem si tritæ sermone multitudinis & frequentatæ sunt, prouerbia vocantur: sin verò eædem, non tàm sermone vsurpatæ, quàm signo effictæ, & quasi emblemate insignitæ sunt, instar notarum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn779456483/phys_0008
DFG

tarum aut tesserarũ militarium, communi vsu loquendi etiam SYMBOLA nominantur. Plurimum autem refert, istiusmodi Axiomata, tanquam oracula quædam & effata fide digna, in promptu habere, quamplurima: maximè verò eos, qui Rempublicam administrant: vt, quid facto sit opus, in omnibus negotiis facilè perspiciant, & consiliũ sicubi necesse fuerit, ex tempore quandoq; capiant, perinde vt pugiles & gladiatores semper ad manum habere solent certos quosdam modos prehendendi atq; elabẽdi: ad quos, cũ in palæstra certant, subinde cõfugiũt. Qua in re plurimum operæ & studii olim posuit C. Octauian. Augustus Cæsar, qui sententiarũ & chriarum variè copioseq; instructam Amaltheam habuisse scribitur, quas sibi ipse describi diligenter ac consignari curauit; non modò ad suum vsum, verùm etiam amicorum: quibus eas mittere interdum, & liberaliter communicare soli-

tus fuit. Quod idem quoq; de prædecessore eius C. Iulio Cæsare memoriæ proditum est: quem M. Cicero in Epistolis volumina aliquot Apophthegmatum confeciſſe memorat. Sed in hoc præcipuam laudem meretur virtus atq; industria optimi & laudatiſſimi principis M. Vlpij Traiani Cæsaris: qui Plutarcho vsus magistro & doctore, negotium ei hoc dedit, vt illustrium & clarorum virorum sapienter & acute dicta, quæ Apophthegmata vocantur, vno comprehenderet volumine: quod in his animi singulorum, tanquã in speculo repræsentarentur: ex quibus sæpe iudicari melius posset de eorum virtute & ingenio: quam ex ipsis factis & rebus gestis: Propterea quod in manu sit cuiusque, quid loquatur, sed quid cuique obtingat, aut eueniat, in fortunæ manu potius, aut saltem in potestate ducis situm est, quod Siramnem illum Persarum ducem dixisse ferunt. Quomodo & Socrates adolescenti

scenti cuidã, ingenii explorandi causa ad se adducto, Loquere (inquit) vt te videam: significans nimirum, orationem simulacrum esse, & quasi speculum animi atque ingenii: ex quo facile, qualis quisque esset, posset cognosci. Similem vero operam (vt alios omittam) in eiuscemodi colligendis dictis & strategematis, nauarunt Valerius Maximus, & Sex. Iulius Frontinus, quos vno quasi compendio complexus est magnus ille Erasmus Roterodamus: & post eum Conradus Lycosthenes, & Th. Zvingerus: in præclaro illo & insigni opere, quod THEATRVM VITÆ HVMANÆ inscribitur: omnibus profecto Cæsarum amphitheatris longe anteponendo. Sed cum his recte tamen coniungi posse existimo eos libellos, qui sententiarũ & gnomarum illustrium quoddã sunt veluti cornu copiæ: quorum ex genere est παναρετὸν (vt Suidas nominat) Siracidæ, & Salomonis Prouerbia: vna

eum sententiis Nili, Basilij, Nazianzeni, & aliorum, tùm verò aurea illa carmina Pythagoræ, Phocylidę, Hesiodi, Theognidis, Solonis: itemq; Isocratis, Epicteti, Theophrasti, Aristotelis, Platonis, & aliorum poëtarum atque oratorum tàm Græcorum, quàm Latinorum: ex quibus omnib. tot extant collectę Gnomologiæ & Anthologiæ: quarum copia & delectus nemini deesse poterit. Cæterùm ego cùm post summorum Regum & Imperatorum vitas in publicum iam aliquoties editas, & iam iterum prælo subiiciendas in Tripartito illo opere, quod PAMMETRON, siue THEATRVM REGVM AC PRINCIPVM orbis ferè vniuersi insignire placuit, subinde mihi eorum dicteria & quasi Symbola in mentem reuocarẽ: ac præterea SYMBOLA HEROICA meditarer: operæ precium me facturum ratus sum, si libro ea singulari comprehenderem, eaq; sententiis pulcerrimis, & apophthegma-

thegmatis virorum sapientiũ illustrarem: & hoc modo obscurè breuiterque dicta quasi explicarem: eandem operis huius vtilitatem præauguratus, quam cæterorum operum, de quibus paulò antè dictum est. Quamquam verò opus istud magis laboriosum fortassis, quàm ingeniosum, non tàm meo, quàm argumenti ipsius, ac inprimis tot summorum & maximorum Principum & Cæsarum genio victurum, adeoque bonis omnibus & literatis viris placiturum, spero vel planè potiùs confido: magis tamen hoc futurum ominor, si illud sub nomine Patroni alicuius potentis, tanquam censoris benigni & iudicis sapientis, in publicum prodeat: cuius & ingenio commendatius, & genio viuaci quodammodo esse incipiat. Tuæ igitur, ERNESTE Princeps Serenissime, Illustrissimæ Clementiæ auctoritatem & patrocinium imploro: tuæ fidei clientelæque hanc operis huius

partem,

partem, more maiorum, publice ac nominatim do & trado. Quod equidem iure optimo mihi facere videor: siquidem debeo hoc officium summæ virtuti ac sapientiæ tuæ, quæ omnium literis & linguis celebrata est: debeo illustri parentelæ tuæ, in cuius fide est patria mea Silesia, quæ omnes omniũ caritates complexa est: debeo deniq; eximiæ bonitati benignitatiq; inclytæ domus Austriacæ erga gentem & familiam meam, quam multis & magnis honorum ac gloriæ insignibus & ornamentis ea decorauit hactenus, & auxit plurimum: cuius memoriam in animo meo nulla vnquam delebit obliuio. Tu, Princeps Sereniſſime, munusculum hoc literarium, quod deuoto animo offero, animo quæso suscipe heroico, id est, æquo ac benigno: & genio ingenioq; tuo in multam ætatem hoc defende ac tuere. Nonis Octobris, Anno

M.D.XIIIC.

IN NI-

IN NICOLAVM REVSNERVM ΠΑΝΕΠΙΣΤΗ-MONA V. CL.

Epigrammata.

CHRISTIANI DISTELMAIER A RADESLEBEN IC. ET CONsil. Elect. Brandeburgij.

VNà cum mundi senio Natura senescit:
Nec prior est animis corporibusque vigor.
Non est tam vivax, non est tam fortis, vt olim:
Indole tam florens non reperitur homo.
Cunctas hac passim sine fine querela plateas
Peruolat: & satis est iusta querela tamen,
Sed grauiter Natura ferens, pertæsa querela,
Antiquas vires experiamur, ait:
REVSNERVMQ; tulit, studiis, animoque paratum,
Omnibus & donis auxit abunde suis:
REVSNERVM historicum, vatem, iurisque peritum,
Rhetora præstantem, doctileqnumque Sophum.
Qua tibi cum constent, mirari desine causam:
Corpore tam præstans quod sit & ingenio.

ANDREÆ CRVSII IC.

QVaque suos Oratores tulit, atque Poetas
Semper, & Historicos natio quaque suos:
Quin etiam Medicos eadem, Iurisque peritos,
Atque Sophos doctos, Philologosque tulit:

At solos: Solum REVSNERE *Silesia clara*
Tot clarum te nunc artibus una tulit.
Quod sis Orator, docet hoc oratio culta:
Quodque Poeta bonus, dulce poema docet.
Quod sis Historicus, docet historia edita multa:
Scribere seu reges, seu tibi regna placet,
Quod Medicus, docet hoc Paradisi lectio: Iuris
Quod sis consultus, pagina multa docet.
Quod Sophus, & quod Philologus sis denique, docta
Symbola, tot pulcris foetibus aucta, docent.
Dij tibi dent annos: nam cætera cuncta dederunt:
Vi sint virtuti tempora longa tuæ.

HENRICI PORSII IV. RISCONSVLTI.

AVdiit arte sacras REVSNERVM *pandere leges,*
Et penetrasse fori mystica iura Themis:
Audiit & Pallas doctos hunc pangere versus:
Et studio summis vatibus esse parem.
Lis agitata deas inter sine iudice pendet:
Illa suum dicit, dicit & ista suum.
Cùm Phœbus: Tu, Pallas (ait) prognata Themiste,
REVSNERO *es mater, mater & ipsa Themis.*
Hinc ego vota probans: Nempe est excellere in arte
Alterutra magnum, maius utraque decus.

EIVSDEM.

PAllada quòd matrem tribui tibi, quodque Themistem:
Vera quidem, verùm dicere pauca fuit.
Nam si tot matres fas assignare, quot artes
Sunt tibi: quis matres enumerare queat?

Ergò

Ergò tibi multis pro matribus vna Minerua est:
Quæ tibi doctrina contulit omne genus.

IANI IACOBI BOISSARDI.

CVm benè sis meritus de iure, simulque Poëſi,
Laurum ſancta Themis, ſacrat Apollo lyram.

CASPARI RVDOLPHI IVRISCONSVLTI.

IVs Themis, hiſtoriam Cleio, REVSNERE, leporem
Suada tibi, carmen dulce Thaleia dedit.

IOANNIS LAVTERBACHII.

HIſtoricus, vates, Iuriſconſultus, & ingens
REVSNERVS ſanctæ relligionis honos,
Ornat, agit, celebrat, fert, reges laudo, Poëtas
Carmine, iure forum, relligione Deum.

IOAN. MYLII IC.

QVem genus, & genius pariter virtutis & artis
Nobilitat, verè nobilis ille vir eſt.
Ille quidem REVSNERE vires: virtutis & artis
Nobilitat genius quem ſimul, atque genus
Singulares referam, cùm ſis bonus hercule Rhetor,
Atque bonus vates, hiſtoricusque bonus:
Iuris es antiſtes quoque, iuſtitiæque ſacerdos
(Mirum! ſic virtus conſonat, arsque) bonus.
Viuat tô Genius ſemper tuus ille: tuumque
Floreat æterna poſteritate genus.

IMPE-

IMPERATORVM, AC CÆSARVM ROMANORVM GRÆCORVM,

Symbola Heroica.

SYMBOLVM I.

FL. VALERII CONSTANTINI MAGNI.



[Golz. Imperatorem esse, fortunæ est.
Item: Imperator nemini, ne suis quidem propriis membris, parcere debet, publicæ tranquillitatis conseruandæ causa.]

Culpam pœnâ premit comes: IMMEDICABILE VVLNVS
Sic medicus FERRO SANAT, *& igne bonus.*

CON-

CONSTANTINVS MAGNVS Imperator, summus fautor proborum, & improborum osor fuisse maximus perhibetur, qui subinde dicere solitus sit: Pro vtilitate Reipublicæ Imperatorem non debere labores recusare: neque cuiquam omnium, ac ne suis quidem propriis membris parcere, publicæ tranquillitatis conseruandæ causa: ac imò PARTEM CORPORIS RECIDERE, SI REMEDIVM NON ADMITTAT: SIN CONTRA, FOVERE: vt scribit Pomponius Lætus in compendio historiæ suæ Romanæ. Itaque in animaduertendo plerumq; vsurpasse scribitur Ouidii hanc sententiam:

Cuncta prius tentanda: sed IMMEDICABILE VVLNVS
ENSE RECIDENDVM, *ne pars sincera trahatur.*

Significans nimirum, improborum hoc omne genus pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum esse: quemadmodum & Hippocrates desperatis morbis verat adhibere medicinam. Etenim vt membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine, & tanquam spiritu carere cœperint, & noceant reliquis: sic ista in figura hominis feritas, & immunitas belluæ, à communi tanquàm humanitate corporis segreganda est: vt præclarè docet M. Tullius Cicero lib. Offic. 3. Qua & ipsa similitudine vtitur idem Cicero in Vatinium: Vt medici membrum sæpè putrefactum incîdunt, atque in totum eradicant, ne aliam corporis partem labefactare, aut corrumpere possit: sic necesse est, si Rempublic. saluam esse volumus, vt perditissimos homines ex vrbe penitus exstirpemus: ne corruptus integro, violatus

casto labem infringat. Et in M. Antonium Orat. 8. In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vri ac secari patimur: vt membrorum aliquod potiùs, quàm totum corpus, intereat: sic in Reipublicæ corpore, vt totum saluum sit, quicquid est pestiferum, amputetur. Sic Claudianus in Eutropium:

Vlcera possessis altè suffusa medullis
Non leuiore manu, ferro sanantur & igne.

Et Iamblichus: καθάπερ τῷ ὑπόπυῳ βέλτιον τὸ κάεσθαι, τοῦ διαμένειν· οὕτω καὶ τῷ μοχθηρῷ τὸ τεθνάναι τοῦ ζῆν: Quemadmodum suppurato satiùs est vri, quàm ita manere: sic etiam improbo mori, quàm viuere. Et Dion Nicæus in Augusto: Vt Medici in sanandis hominum corporibus ea membra, quæ putredine corrupta omnes medelas respuunt, adhibito ferro amputant, ne cætera membra inde inficiantur: Ita magistratus eos, qui in Republica omnibus dediti vitiis, omnem admonitionem contemnunt, ferro etiam separet: ne tanto malorum consortio cæteri in peius etiam ruant. Itaque, secundum Sophoclem, οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ δροεῖν ἐπωδὰς πρὸς τομῶντι πήματι:

Admurmurare carmina haud medici est boni,
Quando malum iam sectionem flagitat.

Neque enim sanari possunt vulnera, nisi tacta & tractata fuerint, teste Liuio. Sic Cato:

Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.

Sic & Plutarchus in vitis: Ferrum (inquit) neq; Rempublicam gerens, neque medicus adhibere, nisi extrema postulante necessitate, debet: vtrunque enim imperitiæ est, & in Republica iniustitia, & crudelitas ad eam imperitiam accedens. Planè enim secundum Thucydidem, magistratus est medicus ciuitatis: beneque præest, qui iuuat patriam, aut certè lædit

non

non volens. Atque hanc ego causam esse puto, quod olim Consulibus Romanis mos fuerit præferri fasces, hoc est, virgas alligatas securibus: quo significatum fuit, malitiam & improbitatem hominum aut corrigendam esse, si ea sanari possit, aut planè potiùs recidendam, si emendari nequeat. Nam & virgæ corrigunt, & secures recidunt. Semper enim magis est probanda medicina, quæ vitiosas corporis partes sanat, quàm quæ exurit: & semper magistratui ea animaduersio adhibenda est potiùs, quæ ciues improbos corrigit, quàm quæ è medio tollit. Tunc igitur, secundum Flaccum:

——adsit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas:
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

Quæ enim se adhuc secari plaga permittit, in summo est, auctore Fabio: ἰατρικὴ δὲ πονηρίας γίνεται ἡ δίκη, secundum Platonem. Sed vt in aspidis ictu nullum est remedium, nisi vt partes contactæ prorsus amputentur: ita vitia nonnulla, sola morte, sanari possunt. Quo casu locum habet Euripidis illud in Auge:

οὐ τοῦ κακούργων οἴκτος ἀλλὰ τοῦ δίκης:
ἔστι τοι καλὸν, τοὺς κακοὺς κολάζειν:
Miseratione digni sunt homines probi,
Non improbi: punire fas est improbos.

Cui respondet Demosthenis hoc: δίκαιόν ἐστιν ἐλεεῖν, οὐ τοὺς ἀδίκους τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τοὺς παρὰ λόγον δυστυχοῦντας: Iustum est misereri, non improborum hominum, sed eorum, qui immeritò infœlices sunt. Et Senecæ illud in Hippolyto:

Pectora magnis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda leui.

Nam inauditum vulnus inaudito cauterio extirpan-

dum est, vt quidam dixit. Et rectè quidem. Nam, vt Poëta vetus vult,

Refert bonorum exemplis puniri improbos.

Qui enim punit iniustos, is cæteris prohibet fieri iniuriam. Sed, vt Mimus habet,

Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.

Multò igitur vtilius est, vnius improbi supplicio multorum improbitatem coërcere, quàm propter multos improbos vni parcere: Siquidem timendum est, ne plura putrescant, dum pluribus parcitur. Neque tàm vlciscendi causa, quàm vt & in præsens sceleratos ciues timore ab impugnanda patria deterreas: & in posterum documentum statuas, ne quis talem amentiam velit imitari, omninò abscindendi sunt, auctore Tullio in Epistol. 16. ad Brutum. *Sic teneros animos aliena opprobria sæpè absterrent simul à vitiis*: vt Flaccus monet Sermon. lib. 1. Et pœna vnius est multorum metus: vt præclarè hoc rescripsetunt Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Imperatores Matroniano Duci, & Præsidi Isauriæ, in Codice lib. 9. cap. 27. ad leg. Iul. repetundarum. Contrà autem spes impunitatis magna est peccandi illecebra, teste M. Tullio pro Milone.

Sym-

Symbolum II.

FL. IVLII CRISPI.



[Golz. Homo extra corpus ſuum eſt iratus.]

Quem vincit ira trux, HOMO, NON EST HOMO:
Tàm mentis impos ſit ſuæ, quàm corporis.

PVblius Syrus, vel, vt aliis placet, Seneca, in Mimis, hoc Symbolum his verbis refert:
Homo extra corpus eſt ſuum, cùm irascitur.
Magna enim eſt vis iræ: eaque profectò tanta, & tàm noxia: vt nõ ſolùm ea vehementer debilitetur plerũque, & animus hominis, & corpus, ſed & mens ratioque perturbetur, quò verum cernere nequeat, ne quid interſit ferè ampliùs inter iratum ac furioſum, quàm tempus, vt Cato dixit. Sic Demipho apud Terentium in Phormione *ita ſe iratum* eſſe fatetur, *vt nequeat ad cogitandum animum inſtituere.* Et Demea in Adelphis negat *ſe apud ſe eſſe*, id eſt, *animi compotem*, quod *ita ardeat iracundia* Ex quo rectè *iram* Ennius *initium* dixit *inſaniæ*: auctore Tullio in Tuſc. 4. ἐρεθισμὸν, ſecundum Xenophontem, ἀφροσύνην: cum

qua, vt Cicero ait, nihil rectè, aut consideratè fieri potest. Sic Menander ille Comicus:

μαινόμεθα πάντες; ὁπόταν ὀργιζόμεθα:
τὸ γὰρ κατασχεῖν τὴν ὀργὴν πόνος:
Omnes in ira corripit quidam furor:
Nam continere magnus est iram labor.

Et Euripides:

οὐδεὶς μετ' ὀργῆς οὐδὲν εὖ βουλεύεται:
Mens nil in ira rectè quicquam consulit.

Et Cato Romanus:

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Neque enim quicquam magis pugnat cum ratione, quàm ira, & festinatio, vt Bias dixit. Vnde & Basilius iram animæ vocat ebrietatem. Et Gregorius: Menti (inquit) furore ebriæ, omne, quod rectum dicitur, peruersum videtur. Nam quoniam ira cæca est & improuida, plerunque ea non sinit cernere, quæ apertissima sunt, & percepta sæpenumerò obscurat, vt Chrysippus monet apud Plutarchum. Sic & Sallustius iram atque cupiditatem pessimos consultores appellat. Et Herodotus iubet ratione fugere iracundiam, non secus ac tyrannum, acerbissimum. Quam & Basilius feram nominat truculentam, quæ profectò eò grauior est atque immanior: quò maior est eorum, in quos ea cadit, vel auctoritas, vel potentia. Quod Publii illud dictum monet: *Fulmen est, vbi cum potestate habitat iracundia.* Et Ouidii hoc: *Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.* Itaque recte Plutarchus scribit, potentum iram & indignationem, quasi tumescentem non temerè commouendam esse, quandoquidem, secundum Pindarum, χόλος οὐκ ἀλιθίος γένεται παίδων διὸς, id est, ira non est vana liberorum Iouis, quorum etiam iniuriæ, vt Seneca vult, hilari vultu,

tu, non solùm animo patiente, ferendæ sunt. Nam, vt Euripides in Æolo ait:

ὀργῇ μὲν ὅστις εὐθέως χαρίζεται,
κακῶς τελευτᾷ· πλεῖστα γὰρ σφάλλει βροτούς:
Quicunq; præceps iræ indulget noxiæ,
Finem videt malum: multùm ira incommodat.

Et in Archelao:

πολλοὺς ὁ θυμὸς ὤλεσε βροτῶν μέγας:
Magna ira multos perdidit mortalium.

Et, vt Menande:

ὀργὴ ἅπαντα δρᾷν ἀναγκάζει κακά.
Mala perpetrare cogit ira plurima.

Sic Horatius in Odis: *Ira procudit enses, Et miseras inimicat vrbes.* Et Statius: *Malè cuncta ministrat impetus.* Quò fit, vt finis iræ plerunque sit initium pœnitentiæ, secundum Senecam. Quod & Menander confirmat his versibus:

ἅπαντ' ὅσ' ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ποιεῖ:
ταῦθ' ὕστερον λάβοις ἂν ἡμαρτημένα.

Et Horatius in Epistolis:

—Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit, aut mens:
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.

Nam, vt Alexandrum Macedonem, cui res præclarè gestæ Magni cognomentum pepererunt, præteream, qui ob Callisthenem, & alios amicos per iram à se interemptos, pœnitentia ductus, sibi necem consciscere voluit, quos quæsò animi cruciatus ac dolores Theodosius ille Magnus, omnium principum alioqui laudatissimus, ad vitæ suæ finem vsque non sensit, quod iratus aliquando, ob Præfectum, & Satellites ipsius, concursu multitudinis, oppressos Thessalonicæ, non habuisset rationem innocentium in animaduertendo. Qua de causa etiam consilio vsus

Ambrosii, præclarissimam illam Codicis legem tulit, ne vlli magistratus sententiam seueriùs, quàm pro sua consuetudine, à se latam, intra triginta dies exequerentur. Tantum enim spacium ille iræ suæ dedit: tantum temporis retractationi sententiæ tribuit: tantum in iusta etiam causa repentinæ eum animaduersionis suæ pœnituit, vt publicè iudicii sui præcipitantiam deploratit. Mora igitur interdum vltioni interponenda est: & securitati consulendum, antequam vindictæ, vt Tacitus loquitur; cùm, secundum Cassidorum, vbi est feruida vindicta, non sit temperata iustitia. Rectè igitur Seneca: Non decet regem sæua & inexorabilis ira. Pulcherrimum enim genus est victoriæ, iram vincere, secundum Platonem. Nam, vt in Publiano versu est:

Iram qui vincit, hostem vincit maximum.

Sic Fabius Quintilianus libr. 9. Hæc (inquit) virtus est celebranda: hæc animi suspicienda moderatio: vincere iram, & inter simultates quoque vincere animum: Sic & Briseis monet Achillem apud Ouidium:

Vince animos, iramq; tuam, qui cætera vincis.

Et de Aiace idem canit Poëta in Metamorphosi libro 13.

Hectora qui solus, qui ferrum, ignemq; Iouemque
Sustinuit toties, vnam non sustinet iram:
Inuictumque virum vincit dolor.

Præclarè etiam Ambrosius: Resiste (inquit) iræ, si potes: cede, si non potes. Et Gregorius in Moralibus: Quoties ira animum inuadit, mentem edoma: vince teipsum: differ tempus furoris; cùm tranquilla mens fuerit, fac, quod placet. Per iram sapientia perditur, vt quid, quove ordine agendum sit, nesciatur. Per iram iustitia relinquitur; quia dum pertur-

bata

bata mens iudicium sine ratione exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat. Et D. Hieronymus ad Demetrium: Quid iracundo furor suus confert? quem sæuissimis exagitatum stimulis conscientiæ, ita ab omni consilio ac mente deturbat: vt, dum irascitur, insanire credatur, sicut Africus ventus in pelago: ita furor viri in corde. Et Seneca lib. 2. de ira: Si tantum irascendum est sapienti, quantum scelerum dignitas exigit: non irascendum est, sed insaniẽdum. Et lib. 1. de Clementia: Pœnam, si tuto poteris, donabis: sin minùs, temperabis: Nihil gloriosius est principe impunè læso. Quò etiam pertinet Horatianum illud:

Ira furor breuis est: animum rege: qui, nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Et Menandri Monostichon istud:

ἄνθρωπος ὢν γίγνωσκε τῆς ὀργῆς κρατεῖν:
Cùm sis homo, iræ temperare noueris.

Symbolum III.

FL. CLAVDII CONSTANTINI IVNIORIS.

DIFFICILIA,

QVÆ PVLCRA.

[Golz. In magnis & voluisse sat est.]

QVOD PVLCRVM, *hoc quoque* DIFFICILE *est*

laus velle putanda est.
Quòd fieri facile posse, vel esse neges.

CElebratissimum est multis in locis apud Platonem verbum illud vetus: DIFFICILIA, QVAE PVLCRA, quòd Græcè hoc modò effertur: χαλεπὰ, τὰ καλὰ; ἡ δύσκολα, τὰ καλὰ. Sed Aristoteles in Nicomachicis hoc pacto explicat: Malum (inquit) est facile, & bonum difficile. Cuius auctor primus fuisse perhibetur Solon ille Atheniensis: qui Pittaco, abdicanti se imperio, quod difficile esse diceret, bonum manere, mollitiem, atque ignauiam suam exprobrans: Difficilia (inquit) quæ pulcra: ex quo vtrunque posteà verbum celebrari cœpit. Cum quo Symbolum hoc congruit Constantini Cæsaris, qui LAVDEM ESSE statuit, VELLE, QVOD NON POSSIS. Monens nimirum illud, difficilia tentanda esse, quæ honesta sint, & præclara. Nam rebus maximis difficultatem ipsa natura proposuit, secundum Tullium. Quo fit, vt non solùm ars, sed virtus etiam in eo potissimum versetur, quod est difficilimum, teste Aristotele. Quod & Pindarus testatur in Olympiis: αἰδὲ ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται, πρὸς ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον, id est, Circa virtutes labor sumptusque perpetuò implicatur, vt opus difficultate obtectum assequare. Et Xenophō: αἱ διὰ καρτερίας ἐπιμέλειαι τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἔργων ἐξικνεῖσθαι ποιοῦσιν, id est, Curæ laboriosæ efficiunt, vt ad pulcra & honesta facinora perueniatur: *Quis* enim, secundum Poëtam, *magna coronari contendat Olympia dulcis sine puluere palmæ?* Nam & contemnitur omne illud, quod facile superatur, secundum Nazianzenū: & omnium rerum cupido languescit, cùm facilis

est occasio, vt est apud C. Plinium II. Qua autem in re quisque excellere cupit: eò libenter ac prompte ducitur: idque cura demum ac diligentia capessitur, auctore Plutarcho. Etenim, vt Maro canit:

Labor omnia vincit improbus.

Et, vt Comicus:

Nihil tàm difficile, quin quærendo inuestigari possit.

Sicut è diuerso, vt idem Comicus testatur,

Nulla est tàm facilis res, quin difficilis siet, quam inuitus facias.

Sic Q. Curtius: Nihil (inquit) tàm altè natura constituit, quo virtus non possit eniti. Quamquam igitur verum est, quod Fabius monet: non tentanda esse, quæ effici omninò non possunt; tamen LAVS EST INTERDVM VELLE, QVOD NON POSSIS: si præclarum aliquid sit & honestum: in quo, quicquid operæ curæque ponetur, id iure laudabitur. Quoniam turpe est & indecorum à rebus honestis & præclaris, metu difficultatis, absterreri. Quod præclarè ita monet M. Tullius Cicero in Lælio: Non est consentaneum vllam honestam rem actionemve, ne solicitus sis, aut non suscipere, aut susceptam deponere. Et Thucydides reprehendit ignauiam vulgi in veritate inquirenda: ὅτως (inquit) ὠτειλαίπως τοῖς πολλοῖς ζήτησις τῆς ἀληθείας: καὶ ἐπὶ τὰ ἑτοιμα μᾶλλον τρέπον. Nam & *in magnis voluisse sat est*, secundum Poëtam: & pars virtutis aliqua putanda est, velle virtute præditum esse. Quemadmodum enim ad pœnam sufficit, meditari puniendam, sic ad laudem satis est, conari prædicanda, vt L. Apuleius docet. Magnarum siquidem rerum, etiamsi successus non fuerit, honestus ipse conatus est, teste Seneca. Proinde vt promptam ad res

geren-

gerendas voluntatem frangere non est honestum, ita si ea forsitan nos relinquit, minimè profectò violentiæ impetu opprimenda est, vt monet Plutarchus. Cæterum omne perit tempus, & studium, quod in res magis obscuras, atque difficiles, quàm necessarias, aut vitæ humanæ vtiles confertur, quas desiderare, imprudentis est & curiosi, & otio atque ingenio abundantis, vel potius abutentis. Rectè enim Thucydides: Non magna res est, assequi, quæ quis desiderat, sed non desiderare ea, quibus opus non habet. Et Seneca in Epistolis: Quicquid vult, habere nemo potest, illud potest, nolle, quod non habet. Sic & Pindarus monet, τὰ ἔμπρακτον ἀντλεῖν μαχαναὶ, hoc est, artem vires non superantem aggredi. Et Terentius in Andria: *Quando non potest fieri id, quod vis: id velis quod possis.* Sed & notum est Catonis illud dictum Symbolicum: QVOD POTES, ID TENTA. Et Ouidianum hoc alterum:

Sit tibi pro facto sæpè, quod esse potest.

Sym-

Symbolum IV.

FL. IVLII CONSTANTIS.



[Golz. Felix se erigendo felicitatem amittit.]

Tantum DECRESCIT FORTUNA, SUPERBIA *quantum*
CRESCIT: *fortuna quæ comes esse solet.*

Felicitas superbiæ, superbiæ
(Quis credat?) infelicitatis sit parens:
Fons omnis hæc peccati, & omnis est mali:

SEcundas *fortunas decent superbiæ*, inquit Plautus in Stucho. Et Menander apud Strobæum.

Εὐδαιμονία γὰρ ὑπερφανίαν τίκτει:
Felicitas parit insolens superbiam.

Sic & Claudianus vocat superbiam, *vitium rebus solennæ*

lenne secundis, & ingratam comitem virtutum. Nam semper à virtute & veritate aliena est superbia, secundum Gregorium: neque ipsa solùm peccatum est maximum, sed omnis peccati principium: teste Syracide: &, vt Isidorus loquitur, superbia origo est omnium criminum: & ruina cunctarum virtutum ipsa in peccato prima, & in conflictu postrema est: adeoque sentina quædam & colluuies vitiorum, & radix omnis mali: quæ bonis insidiatur operibus, & fidei maximè resistit, quæque à Deo hominem separat, vt docet Aur. Augustinus. Quò fit, vt pro felicitate eam tandem excipiat infelicitas: & insolentiam sequatur ignominia. Scitum est enim Publianum illud Symbolum:

CITÒ IGNOMINIA FIT SVPERBI GLORIA.

Cui cognatum est Senecæ illud dictum Symbolicum,

FELIX SE ERIGENDO, FELICITATEM AMITTIT.

Nam superbiam sequitur pœna, quæ maxima ruinæ causa est, secundum Augustinum: &, vt Isidorus scribit, omnis superbia tantùm in imo iacet, quantùm in altum se erigit: tantoq; profundius labitur, quantò excelsiùs eleuatur. Etenim, vt Seneca scribit in Agamemnone,

Quicquid in altum Fortuna tulit, ruitura leuat.

Et, vt Iuuenalis,

---ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna iocari.

Qui enim per propriam superbiam attollitur, per Dei iustitiam inclinatur, eodem auctore Isidoro: Nam superbia offendit homo Deum: inuidia proximum: ira lædit seipsum.

Sic Menander:

ὁ ζῆλος

ὀζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων.

Quem versum ita protulit Seneca in Hercule furēte:

Sequitur superbos vltor à tergo Deus.

Cui respondet Monostichon hoc:

ἀλλ' ἀζονείας οὔτις ἐκφεύγει δίκην;

Pœnam arrogantiæ effugit nemo suæ.

Sic & Liuius Dec. 1. lib. 3. Superbiæ & crudelitati si seræ, non tamen leues veniunt pœnæ. Et lib. 10. Dec. 3. Qui non statuit fœlicitati modum, nec cohibet efferentem fortuna, quantò altiùs elatus est, eò fœdiùs corruit. & Seneca: Nunquam in solido stetit superba fœlicitas, & imperiorum magna fastigia, obliuione fragilitatis humanæ, collapsa sunt. Et Bernardus: Superbia de superis ad ima præcipitat: humilitas ab imis ad alta leuat. Et Hugo: Superbia in cœlo nata est, sed velut immemor, qua vis inde cecidit, illùc postea redire non potuit. Et Gregorius: Omnis superbia eo ipso in imo latet, quo se in alto erigit, vt inde magis supposita cūctis sit: vnde cunctis appetit superesse. Itaq; superbia, quæ, teste Augustino, vermis est diuitiarum, &, vt Chrysostomus vult, extrema quædam dementia, statim & continuò, vbi nasci intelligitur, eradicāda est: quemadmodum rectè monet Gregorius in Moralibus: Maximè verò virtutum fugienda est superbia: Cumq; cætera vitia fere omnia in malefactis valeant, sola superbia etiam in recte factis cauenda est: ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur, vt Augustinus tradit. In primis autem opera danda est omnibus, vt quò maior est cuiusq; fœlicitas, eò maior sit humilitas, quę vere est, vt Bernardus loquitur, decor animæ, & receptaculum gratiæ: &, vt Augustinus, fundamentum virtutis: &, vt Chrysostomus, principium beatitudinis: adeoq; ipsius iustitiæ consummatio, qua nullum Deo

maius

maius afferri potest sacrificium. Rectè enim Poëta Græcus:

ὅσ' εὐτυχῆς μάλιστα, μὴ μέγα φρόνει:

Quò prosper es magis, hoc superbus sis minùs.

Et Senecæ in Troade:

——Quò fortuna altius
Euexit atque leuauit humanas opes:
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosque casus tremere, & metuentem deos
Nimiùm fauentes: magna momento obrui
Vincendo didici.

Sic M. Cicero in Officiis docet, vt quantò superiores simus, tantò submissiùs nos geramus. Et pro P. Quintio: Quò plus (inquit) propter virtutem nobilitatemque possunt: eò minus, quantum possint, debent ostendere. Et Terentius in Adelphis:

Quàm vos facilimè agitis, quàm estis maximè
Potentes, dites, fortunati, nobiles:
Tàm maximè vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos vultis perhiberi probos.

Sic Augustinus: Multò facilius inuenit siderum conditorem humilis pietas, quàm ordinem superba furiositas. Et alibi: Humilitas homines sanctis angelis similes facit: Superbia ex angelis dæmones facit: ipsa est omnium peccatorum initium, & finis, & causa: quippè non solùm peccatum est superbia, sed etiam nullum peccatum esse aut potuit, aut potest, aut poterit, sine superbia. Et Gregorius: Deum non nisi humiles contemplari possunt, qui dum se deiiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt. Et Bernardus: Oportet humiliter sentire de se eũ, qui nititur ad altiora, ne, dum supra se attollitur, à seipso cadat, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus, quia, nisi humilitatis merito, non obtinentur

ma-

maxima. Et Isidorus: Descende, vt ascendas: humiliare, vt exalteris: ne exaltatus humilieris. Humilitas lapsum non nouit: humilitas lapsum nunquam passa est, qui enim sibi vtilis est, ante Deum magnus est: & qui sibi displicet, Deo placet. Esto igitur paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis Domini. Tanto enim eris preciosior ante Deum, quanto fueris ante oculos tuos despectior. Quò etiam pertinet Aristotelis illud in Quæst. In superbiam nemo extolletur, qui æqualitatem seruauerit, & singulis in rebus sui ipsius meminerit: reuoluens animo, vt homo hominibus præsit: vtque Deus deleat superbos: mansuetos autem & humiles extollat.

Symbolum V.

FL. IVLII CONSTANTII.



[Golz. Princeps & iniqua, & æqua pariter audias.]

Aut surda, aut PATIENS *magni* SIT PRINCIPIS AVRIS:
Si nescis, lesa bilis in aure sedet.

QVoniam ira, quod aiunt, in auribus habitat, oportet Principem non libenter audire omnia, quæ nec vtile est audire, nec etiam necessarium, ne fortassis iratè aliquid aut præcipitanter agat, quod satius fuerit omittere. Maximè verò aures cum habere decet obtusas, & hebetes ad rumores atque fabulas populares, vt Plato monet, ne quibusuis delatoribus & nugatoribus facilè ad se præbeat aditum: iisque fidem temerè adhibeat. Quod Publius etiam in Mimis docet:

Difficilem oportet habere aurem ad crimina.

Quandoquidem, vt Satyricus canit, *nihil est violentius aure tyranni*: Cui semper illud in promptu est:

Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas.

Quamobrem Epicharmion illud tenendum est, nervos, atque artus esse sapientiæ, non temerè credere. Quod & Pythagoras docere voluit, cùm vetuit, cuiuis dextram iniicere: quoniam ea est hominum malitia & improbitas, vt non modò sermo & frons, sed vultus quoque & oculi persæpè mentiantur. Itaque prudenti opus est diffidentia, secundum Sophoclem: vt nimirum *ita credatur amico, ne sit inimico opus*, vt est apud Mimographum. Nam, vt Augustinus scribit, ignorantia iudicis sæpè fit calamitas innocentis. Quam ego causam esse arbitror, quod olim apud Græcos in Creta simulacrum Iouis absque auribus effictum fuit, vt argumento esset omnibus, eos, qui cæteris iura dare aut dicere debeant, neminem priuatim auscultare, sed vniuersis publicè consulere oportere. Sed non ita tamen surdis esse decet principem auribus, vt plane verum non audiat, verùm satis est, patientes eum habere aures, easque religiosas, & non obtusas criminatione, aut, vt Plauti verbis vtar, *calumniis laburratas*, sed vacuas, & omnium

que-

querelis æquè patentes, in quas non fictè & simulatè, quæstus causa, insusurretur, sed quæ id quod audiunt existimentur audire, vt ad Q. Fratrem scribit M. Cicero. Sic & Philosophus ille Pythagoricus monet, principi sine ira audiendum esse. Et Demonax apud Lucianum interrogatus, quomodo benè imperet princeps: Cohibens (inquit) iram, & pauca loquens, & multa audiens. Et Cleobulus magistratum vult esse φιλήκουον, ἀλλὰ μὴ πολήκουον, id est, qui libenter quidem audiat, sed non quæuis temerè audiat. Quandoquidem princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere, vt Afri Domitii, dictũ illud habet apud Fabium lib. 8. c. 5. Sed & in hoc sapientia est iudicis, aut boni magistratus; vt in vtraque parte audienda fidem & diligentiam præstet: exemplo Alexandri Magni, qui cùm in causis, præsertim ciuilibus, sederet iudex: accusatori aurem occludebat alteram: vt reo eam conseruaret integram. Quemadmodum & Attica lege iurabant iudices, se velle (vt Græce loquar) ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκρῶσθαι. Quod & Phocylides monet hoc versu:

μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Nam, vt Menander ait:

ὁ προκαταγινώσκων, πρὶν ἀκοῦσαι σαφῶς,
αὐτὸς πονηρός ἐστι, πιστεύσας κακῶς.

Quam sententiam hoc modo expressit Seneca in Medea:

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Et Euripides in Heraclidis:

τὶς ἂν δίκην κρίνοιεν, ἢ δοίη λόγον,
πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν, μῦθον ἐκμάθη σαφῶς?
Quis iudicet causam, aut sententiam ferat,
Priusquam vtriusq; sermonem rectè audiat?

Quod vt magistratus suos monerent Thebani, principem suum in simulacro & cæcum, & auritum finxerunt: alios verò iudices, qui huic assident, mancos, id est, manibus truncatos. Cæcum quidem, ne is spectator sit, aut acceptator personarum: auritum verò, vt eò magis sit intentus in causam, auscultãdo id, quod verum est: mancos denique iudices, ne pecuniæ aliqua largitione se corrumpi sinant. Manus enim supinæ, aut in pugnum compressæ, auaritiæ sunt hieroglyphicum: oculi verò gratiæ & fauoris: aures autẽ, maximè si extantes sint atq; apertæ, docilitatis & studii cognoscendi. Ex quo rectè Pericles monuit Sophoclem lasciuè & cupidè oculos circumferentem: Prætorem non modò manus, sed etiam oculos abstinentes habere oportere. Et valerius Maximus lib. 4. Magistratus (inquit) non solùm manus à pecunia, & lucro, sed & oculos à libidinoso aspectu continentes habere debet. Et Iustinianus Imperator vetat iudices vllum lucrum contingere debere, sed præaliis omnibus mundas Deo & magistratui legibusq; manus perpetuò conseruare. Quo etiam pertinet Marciani illa Iurisconsulti lex XI. D. de pœnis: Perspiciendum est iudicanti, ne quid aut durius aut remissius constituatur, quàm causa deposcit. Nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est: Sed perpenso iudicio, prout quæque res expostulat, statuendum.

Sym-

Symbolum VI.

MAGNENTII.



[Golz. Pudor ſeni pudor, iuueni decor.]

Si color eſt virtutis (vt eſt) PVDOR, *aut rubor: ergò*
Cur DECVS *eſt* IVVENI, DEDECVS *ille* SENI?

PVDOR & verecundia ſi non virtus, ac comes eſt & cuſtos virtutis: metus ſcilicet turpitudinis, & amor laudis, quorum ille à vitio reuocat: hic verò ad virtutem impellit. Sed aliàs quidem pudor virtutis præcurſor, aliàs vitiorum pediſſequus dicitur. Præcurſor virtutis, ſiue anteceſſor tunc eſt, cùm ne quid contra decus & honeſtatem committatur, præcauet: non ſecùs ac Imperator inſidias, gubernator tempeſtatem, medicus morbum ingraueſcentem præuidet. Pediſſequus verò vitiorum eſt pudor, cùm culpæ admiſſæ conſcientia, ſeipſum animus accuſat, & à ſe ipſo tacitè veluti pœnas exigit: aliorum metuens ac reformidans reprehenſionem, aut iudicium. Qui

sane pudor in adolescentibus laudabilis, in senibus vituperabilis esse solet, vt docet Aristoteles in Nicomachicis. Fit enim, vt adolescentes, qui per ætatem, quid laude aut vituperio dignum sit, non satis intelligunt, omnibus plerumque dictis aut factis suis aut vitium aliquod inesse metuant, aut, si vitium aliquod commissum sit, non absque pudore & dolore reminiscantur. Quod laudi inprimis datur huic ætati, quæ cùm ita *erubescit*, *saluam* adhuc *rem* esse arguit, secundum Comicum. Vnde Diogenes Cynicus ruborem hunc ex pudore natum, colorem virtutis appellat. Et Aristotelis filia Pythias colorem eundem longe pulcherrimum esse dixit. Sic Plato apud Plutarchum magis sibi placere affirmat adolescentes erubescentes, quàm pallescentes. Et Q. Curtius: Formam (inquit) pudor honestat. Et Demades: Pudor arx pulchritudinis est. Sic Bernardus: Verecundia venustatem ingerit, & gratiam auget. Et Seneca: Bonum in adolescente signum est, cùm ex alto rubor ei suffunditur. Sed in senibus & adultis, quos nihil facere oportet, ex quo pudor oriatur, meritò is vituperatur: siquidem hi & rationis perfectione, & iudicii maturitate, aut possunt plurimum, aut posse debent. Nam, vt Menander ait,

ἡττὴ μὲν αἰδὼς, ἔνθ' ἀναίδεια κρατεῖ·

Malus pudor est, vbi vincit impudentia.

Et Aristoteles negat viro probo verecundiam conducere: quippe quæ pro rebus improbis fiat. Et Plato pudoris hoc vitiosi proprium & quasi peculiare esse dicit, quod cùm cæteras cupiditates sequatur pœnitentia: hic non sequatur, sed protinus in factis ipsis se prodat. Sic Augustinus: Erubescentiæ (inquit) causa peccatum est. Verùm enimuerò quoniam, secundum Publium,

Ignosci.

Ignoscere humanum, vbi pudet, cui ignoscitur:
omni ętati conueniens esse videtur verecundia, quę, vt Cicero ait, custos est virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem consequens, sine qua nihil rectum est, nihil honestum, nihil laudabile. Nam, secundũ Gregorium, laudabilis est verecundia in malo: reprehensibilis verò in bono: propterea quod vereri malum, sapientiæ est: bonum verò erubescere, seruitatis. Et, secundum Bernardum, pudor bonus est, quo peccare, aut peccasse confunderis. Pudore enim culpa quasi minuitur, quæ defensione cumulatur, teste Ambrosio. Ex quo recte Fabius verecundiam vitium quidem esse, sed amabile scribit. Et Seneca in Epist. 25. Nec de altero quidem satis fiduciæ habeo: excepto eo, qui adhuc peccare erubescit, nutriendus est hic pudor, qui quamdiu in eius animo durauerit, aliquis erit bonæ spei locus. Et Hugo: Sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam. Sic Menander.

πᾶς ἐυδειλῶν χρηστὸς εἶναι μοι δοκεῖ·
Omnis verecundans, idem quoque est probus.
αὐὴρ γὰρ χρηστὸς χρηστὸν αἰδεῖται φιλεῖ·
Probus verecundari vir probum solet,

secundum Euripidem in Iphig. Aul. Neque hunc solum, sed & seipsum: quo fiet, vt non erubescat coram aliis, auctore Theophrasto. Nam, vt Plautus dixit in Trinummo: *Is est honos homini pudico, meminisse officium suum.* Pudor enim malignitatem vincit, teste Liuio: &, vt Chrysostomus loquitur, frenum est vitiorum; & verecundia, moderatrix cupiditatum, secundũ Ciceronem. Ná vbi studium, verecundiæ est, cupiditas seruit rationi, secundum Val. Maximũ: adeoq;, secundum Platonem, inter verecundos versatur DEVS.

Contrà autem verum est Plautinum illud in Bacchidibus:

Ego illum periisse dico, cui quidem periit pudor.

Nam, secundum Diphilum,

ὃς οὔτ' ἐριθριᾶν οἶδεν, οὔτε δεδιέναι,
πὰ πρῶτα πάτης τῆς ἀναιδείας ἔχει:
Qui nec reformidare, nec erubescere
Scit, impudentiæ omnis hic primas habet.

Impudentia autem verè est, vt Euripides nominat, αἰσχίστη νόσος, id est, *morbus pessimus*: &, vt Xenophon, μεγίστη ἐφ' ἅπαντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμὼν, hoc est, omnium vitiorum dux maxima.

Nam quis peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Eiectum simul attrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris vno
Flagitio? vt de suo hoc mihi largiatur Satyricus.

Cæterùm de laude verecundiæ notetur vna aut altera sententia egregia: Cuiusmodi est Valerii Maximi illa libr. 4. capit. 5. Verecundia parens est omnis honesti consilii: tutela solennium officiorum: magistra innocentiæ: chara proximis: accepta alienis: omni denique loco & tempore fauorabilem præ se ferens vultum. Et Bernardi hæc: Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra & quàm splendida gemma morum est verecundia in vita & vultu adolescentis? quàm vera & minimè dubia bonæ spei nuncia: bonæ indolis index: virga disciplinæ, expugnatrix malorum: propugnatrix puritatis innatæ: specialis gloria conscientiæ: famæ custos: vitæ decus: virtutis sedes: virtutum primitiæ: naturæ laus: insigne totius honesti. Et eiusdem altera: Quantum DEO displicet peccatorum impudentia: tantum verecundia placet. Et Ambrosii illa in Officiis: Verecundia

cùm

cùm sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, locis apta: tamen adolescentes maximè decet. Item: Pudicitiæ comes est verecundia: cuius societate castitas ipsa tutior est.

Symbolum VII.

DECENTII.

CELARE
DOLOREM
DIFFICILE.

[Golz. Miser dolor, qui in tormentis non habet vocem.]

DIFFICILE *est animi semper* CELARE DOLOREM:
Nec facile est tristi fingere mente iocum.

COEcilii sententia est apud Gellium: *Is demum miser est, qui aerumnam suam nequit occultare*. Ex qua sumptum esse apparet hoc Symbolum: quod monet, DIFFICILE ESSE, DOLOREM CELARE. Nam, vt Naso canit:

--Difficile est imitari gaudia falsa:
Difficile est tristi fingere mente iocum.

Et Tibullus:

Non benè mendaci risus componitur ore:
Nec benè sollicitis ebria verba sonant.

Et Cornelius Gallus:

Certè difficile est, abscondere pectoris æstus:
Panditur, & clauso sæpius ore fremit.

Sic Bernardus: Miseria nulla maior, quàm falsa lætitia. Sed quantò quidem difficilius est celare dolorem: tantò sapientiùs hoc habetur. Præclarè enim Euripides in Scirone:

σοφοὶ ἀποκρύπτουσιν οἰκείας βλάβας;
Sapiens homo domesticum occultat malum.

Et in OEdipo:

ἐκ μαρτυρεῖν τὴν ἄνδρα τὰς αὑτοῦ τύχας
εἰς πάντας ἀμαθὲς: τόδ' ἀποκρύπτεσθαι σοφόν:
Sortem palàm suam omnibus testarier
Stultum puto: celare prudentem decet.

Sic Menander:

οὐκ ἐμὸν ἀνοίγειν λανθάνουσαν ἀτυχίαν
ἐστ': ἀλλὰ κατακαλύπτειν φημὶ δεῖν:
Non est meum, latens aperire sic malum
Cunctis: sed occultandum semper hoc puto.

Et Sophocles:

μὴ σπεῖρε πολλοῖς τὴν παρόντα δαίμονα:
σιγώμενον γάρ ἐστι θρηνεῖσθαι πρέπον:
Quorsum attinet euulgare fortunam omnibus
Malam, silendo quam lugere conuenit?

Et Pindarus: καλῶν μὲν μοῖραν, καὶ τερπνῶν ἐς μέσον χρὴ παντὶ λαῷ δεικνύναι: εἰ δὲ τὶς ἀνθρώποις ἀθεόσδοτος ἀθληκηκότα προστύχῃ, ταύταν σκότει κρύπτειν ἔοικεν: Bonarum quidem rerum sortem, ac iucundarum coràm oportet toti populo declarare: at si qua diuinitus grauior cõtigerit hominibus fortuna, eam abscondere conuenit. Et Seneca in Epist. 92. Stultius nihil est quàm

famam

famam captare tristitiæ. Sed nihil tamen est præcipue dolendum cuiquam in eo, quod accidit vniuersis: vt M. Cicero scribit ad Torquatum: præsertim cùm intelligas, nihil profici posse, in quo sanè confici frustrà dolore, summa est stultitia, teste eodem Cicerone Tusc. 3.

Symbolum VIII.

FL. CLAVDII IVLIANI APOSTATÆ.

PENNIS SVIS FERIRI, GRAVE.

[Golz. Turpe est sapienti, cùm habeat animum, captare gaudia ex corpore.]

Ille magis dolet, & PATITVR MAGIS *ille dolendo,*
MARTE SVO PETITVR *quisquis, & arte sua.*

TAnto Christianorum odio flagrasse Iulianus Imperator scribitur: vt non modò religionis, sed literarum quoque studia, & vnà cum his omnes honores Reipublicę & militiæ iis interdixerit: subinde vsurpans sermone illud: εἰκείοις πτέροις βαλλόμεθα, id est, Pennis ferimur propriis. Nimirum veritus illud,

ne

ne tela ab his sumpta aduersus se postea iacularentur, vt Luciani verbis vtar neve à numinum cultu ita trãs. irent, vt Ammianus Marcellinus loquitur. Nam hoc est pennis feriri propriis, quemadmodum Hannibal apud Liuium libr. 2. suis se artibus peti coqueritur. Graue enim est suis telis confici: & in suum quasi mucronem incurrere, & suo gladio iugulari, vt est apud Comicum. Quò etiam allusit Ouidius in Heroid.

Heu patior telis vulnera facta meis.

Quod accidit Mario, qui vnus fuit è XXX. tyrannis, quem miles per insidias adoriens: Hic est (inquit) gladius, quem ipse fecisti. Nam Marius ante imperium faber ferrarius fuerat: & eius opera militis vsus in officina ferraria: vt scribit Trebellius Pollio. Et Plutarchus memorat, Brasidam ducem, educto è corpore suo telo, eodem confodisse eum, qui miserat. Sic igitur Iulianus Cæsar, Christianæ religionis studio abolendæ, gentiliũ sacra renouari, & templa aperiri voluit, & Christianis, ne literas bonas aut docerent, aut discerẽt, omninò interdixit: ne quæstũ ex iis artib. facerent, quarum religionem respuerent, aut ne doctrinis gentilium eruditi, aduersus eos abuterentur. Sed & Christum appellans Galilæum ad contumeliã nominauit, quem in extremo spiritu illusit, cùm moriens. Vicisti (inquit) Galiæe, vicisti. De quo ita scribit D. Hieronymus: Iulianus septem libros in expeditione Parthica aduersus Christum euomuit: & iuxta fabulas Poëtarum suo se ense lacerauit, & Nazarenum nostrum, vel, vt ipse solebat dicere, Galilæum, statim in prælio sensit, & meretedem linguæ putidissimæ, conto in illis perfossus, accepit. Cæterum Ammianus Marcellinus aliud eiusdem Symbolum refert, qui militibus de salariis non acceptis apud se con-

obquestis subinde dixerit: Imperatorem bellicosum ac vigilantem, ferrum habere, non aurum. Zonaras verò scribit, eum in victu adeò fuisse temperantem, vt & naturalia illa, ructus inquam & sputa, ferè euitaret: Philosopho ne respirandum quidem esse dicens, si fieri posset. Qua in re imitatus fuisse videtur Persas, apud quos turpe quodammodò haberi auctor est Xenophon, tàm exspuere, quàm emungi propalam: itemque flatibus videri refertum, aut ad vrinam profundendam secedere.

Symbolum IX.

FL. IOVIANI.

SCOPVS
VITÆ
CHRISTVS.

Sit CHRISTVS VITAE SCOPVS, *& sit meta salutis. Non errat, vitæ cui scopus ille placet.*

FL. Iouianum Principem & Imperatorem fuisse Christianissimum, Symbolum hoc eius testatur: CHRISTVS VITAE MEAE SCOPVS, qui sub Iuliano Cæsare baltheum ponere, & de vita periclitari, quàm à Christo deficere maluit. Sed & eo ipso paulò pòst in acie extincto, Imperator militari fauore salu-

salutatus, imperium primò abnuit, quod se gentilibus imperare nolle diceret: Verùm militibus tandem se Christianos esse acclamantibus, imperium haud inuitus suscepit, & statim gentiles templa claudere, & cruenta omittere sacrificia imperauit, ac præterea congiarium à Constantino Magno institutum, quod à Iuliano abrogatum fuerat, Ecclesiæ reddidit: vnum SCOPVM VITAE SVAE CHRISTVM prædicans, quem propositum esse oporteat Reipublicæ moderatori, quò intueri, & quò cursum suum dirigere debeat. Nam omnis Christi actio, nostra est institutio, quem imitari viuendo tutissimum est, secundum Augustinum. Quippe qui, vt Bernardus loquitur, origo est omniũ virtutum, siquidem & prudentia vera in Christi doctrina, & iustitia in misericordia, & temperantia in vita, & fortitudo in passione eius conspicitur. Sed quoniam nihil prodest studium perueniendi aliquò: nisi illud, quod eò, quo intendas, ferat, deducatque cognoris: in solum Christum intueri fas est, qui est via, veritas, & vita: adeoque porta cœli, & requies animæ, secundum Bernardum: adeo vt non nisi per Christum ad Christum perueniatur, teste Augustino. Sic D. Petrus Apostolus nos Christi exemplo viuere monens: Christus (inquit) pro nobis iniuriam passus est: nobis præscriptum relinquens, vt eius vestigia subsequamur. Nam is profecto honestissimus proficiendi modus esse videtur, qui ab optimi & clarissimi cuiusque imitatione proficiscitur. Quid autem Christo melius est aut illustrius? qui cùm sit forma & imago DEI immortalis: optimum sane fuerit, nos ad eius imaginem totos conformari, & ab eius simulachro, morum ac vitæ lineamenta ducere. Recte igitur Augustinus: Tota vita Christi in terris, per hominem, quem gessit morũ fuit disciplina. Nã omnia

bona

bona mundi Christus contempsit, quæ contemnenda docuit: & omnia mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit: vt nec in illis quæreretur fœlicitas, nec in his timeretur infœlicitas. Et Bernardus: Plane dignus est morte, qui tibi, CHRISTE, recusat viuere, & qui tibi non sapit, is desipit: & qui curat esse, nisi propter te; is pro nihilo est, & nihil est. Propter teipsum, DEVS, fecisti omnia. Et qui esse vult sibi, & nõ tibi, is nihil esse incipit inter omnia. Itẽ: Ne mũdi gloria, aut carnis voluptate aliqua abducaris, dulcescat tibi pro ea sapietia Christus, ne seducaris spiritu mendacii aut erroris, illucescat tibi veritas Christus, ne aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Christus.

Symbolum X.

FL. VALENTINIANI.



[Golz. Francum amicum habeto, vicinum ne habeto.]

PRINCEPS *sit populi* SERVATOR IVSTVS, *& æquus:*
Iustitia vires temperet ille suas.

Si in-

Si iuris simul est dux, iustitiæque minister.
Iustitiæ & iuris cura sit vna duci.

CElebre est & vulgo decantatũ Deliacum illud Epigramma, quod Aristoteles refert libro Nicomacheorum primo:

κάλλιστον τὸ δικαιότατον: λῷστον δ' ὑγιαίνειν:
ἥδιστον δ' πέφυχ' οὗ τις ἐρᾷ τὸ τυχεῖν:
Iustitia est formosa: valetudo bona res est:
At iucunda, frui, quod quis habere cupit.

Quod iisdem fere verbis, sed mutatis numeris, sic protulit Sophocles in Creusa:

κάλλιστόν ἐστι τοὔνδικον πεφικέναι:
λῷστον δ' ζῆν ἄνοσον: ἥδιστον δ' ὅτῳ
πάρ' ἐστι λῆψις, ὧν ἐρᾷ καθ' ἡμέραν.

Et Plato lib. 2. Politicorum: πάντες (inquit) ἐξ ἑνὸς στόματος ὑμνοῦσιν, ὡς καλὸν ἡ μὲν σωφροσύνη τε, καὶ δικαιοσύνη, χαλεπὸν μέντοι, καὶ ἐπίπονον: Omnes vno ore canunt, quàm pulchra si res & honesta temperantia ac iustitia, sed difficilis ea tamen, ac laboriosa. Sic Aristoteles lib. 5. ad Nicomachum: κρατίστη (inquit) τῶν ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη. καὶ οὐδ' ἕσπερος, οὐδ' ἑῶος οὕτω θαυμαστός: Præstantissima omnium virtutum esse videtur iustitia: &, secundum Euripidem,

Nec tàm Hesperus, nec Lucifer mirandus est.

Et M. Cicero in Officiis libr. 3. Iustitia omnium est domina & regina virtutum. Et libro primo: Iustitiæ inest splendor virtutis maximus, ex qua vna virtute viri boni nominantur. Et ibidem: Fundamentum perpetuæ commendationis & famæ est iustitia: sine qua nihil esse potest laudabile. Sed & Pindarus apud Athe-

Athenæum: χρυσέον ὄμμα τὸ τῆ δίκης, καὶ χρυσέον εὐθύνωπον δικαιοσύνης, id est, aureum oculum, & auream faciem iustitiæ nominat. Et Orpheus in hymno suo, quem inscripsit, Iustitiæ suffimentum, ὄμμα δίκης ἀγλαομόρφε appellat. Et Ammianus Marcellinus: Vigilat iustitiæ oculus, sempiternus. Et alibi: Inconniuens iustititiæ oculus, arbiter & vindex perpetuus rerum, attentè vigilat. Polus verò Lucanus, Pythagoræus Philosophus, in libro de iustitia: δοκεῖ μοι (inquit) τῆ ἀνδρῶν τὰν δικαιοσύναν ματέρα τε, καὶ τιθηνὰν τῆ ἄλλων ἀρετῶν εὐθυφρπεῖν. ἄτερ γὰρ τούτως, οὔτε σώφρονα, οὔτε ἀνδρεῖον, οὔτε φρόνιμον οἷόν τε εἶναι. ἁρμονία γάρ ἐστι, καὶ εὐρυθμία ψυχᾶς μετ' εὐρυθμίας. δηλοφανέστερον δὲ καὶ γνῶσιν τὸ ζωύτου κρατῆ, ἐπιζῆσιν ἡμῖν τᾶς ἄλλας ἕξιας. μεγεκὰν γὰρ ἔχοντας αὐτᾶς τᾶν ὠφέλειαν, καὶ ποθ' ἕνα. ἀ δ' ποθ' ὅλα τὰ συναμφω, καὶ ὠλαθῆ. ἐν κόσμῳ μὲν ὧν αὐτὰ τᾶν ὅλων ἀρχᾶν ἀμφαπαγεδόσα, τοῦτοιά τε, καὶ ἁρμονία, καὶ διάκοσμος ἐόντων ἅπαν ψαφιξαμφίων, ὠ πόλει δ' εἰρήνα τε, καὶ εὐνομία δικαίως κίκλητται. ὠ οἴκῳ δ' ἐσὶν αὐθρὸς μὰν, καὶ γυναικὸς ποτ' ἀλλάλως ὁμοφροσύνα: οἰκετᾶν δ' ποτὶ δεσπότας εὔνοια: δεσπόζων δ' ποτὶ θεραπόντας παιδεμονία. ὠ σώματι δ', πρᾶτα μὲν ἄπαυσιν ἀγαπαυστικὰ ζωοις, ἄτε ὑγίεα, καὶ ἰσχύας: ὠ δ' ψυχᾷ σοφία, ἡ ὠλοῖς ἐπιστάμας τε, καὶ δικαιοσύνας γνωμάν παρ' ἀνθρώποις. εἰ δ' αὐτὰ τὸ ὅλον, καὶ τὰ μέρεα ἅπα παιδαγωγεῖ τε, καὶ σώζῃ, ὁμόφρονα, καὶ πόλεγε ἀλλάλοις ἀπείρακα ζόμενα: πῶς ἀ μάτηρ, καὶ τιθηνὰ πασᾶν τε, καὶ πάντων παμψαφεὶ λέγηται? Quæ verba ita Latinè sonant: Iustitia cæterarum virtutum omnium parens & altrix vocanda mihi videtur: neque sine ea fieri potest, vt quisquam aut temperans sit, aut fortis aut prudens. Est enim harmonia quædam & pax totius animi, cum apto & composito motu. Quanta autem vis sit illius & potestas, magis è cæterorum habituum inspectione cognosci potest. Nam cæte-

rorum vtilitates ad vnum saltem pertinent: huius verò ad omnia, quæ composita sunt, & ad multitudinem. Ea igitur in mundo quidem prouidentia vocatur, & harmonia, & iudicium, & mens deorum, qui ita statuerunt: in ciuitate autem pax, & bona legum constitutio: in domo priuata, viri quidem, & vxoris mutua concordia: Seruorum autem in dominos bonus animus: & vicissim in dominis, amica & benuola seruorum procuratio: in corpore autem & animo, primùm quidem ea, quæ omnibus charissima sunt, vita, & bona valetudo, & integritas viriũ: tùm verò sapientia, omnisque scientia. Quæ igitur vna & totum, & partes ita regit & tuetur: efficiens omnia inter se amica & concordia: quidni communis omnium parens, & altrix omnium suffragiis prædicetur? Hactenus Polus. Cæterùm tanta iustitiæ vtilitas est & necessitas, vt sine ea non possit constare vitæ humanæ societas & communitas. Vnde Plato eã nominat, ἔρμα πόλεων, id est, fulcrum ciuitatum: Et in Protagora iustitiam ac pudorem, duo vitæ humanæ vincula atque ornamenta maxima appellat. Sic & M. Cicero in Paradoxis: ius & æquitas, vincula ciuitatum. Cuius profectò vis maxima est, non solùm inter leges & iudicia, & instituta Reipublicæ, sed & in vita priuata ac solitaria, vt ne illi quidẽ, qui maleficio ac scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere, vt egregie hoc explicat M. Cicero in officiis. Quanquam vero omnibus hominibus iustitia ad rem gerendam necessaria est, cùm boni viri sit, vt Euripides monet, τῇ δίκῃ ὑπηρετεῖν, id est, iustitiæ inseruire: cumque egregium sit inprimis, vt foris, ita domi: vt in magnis, ita in paruis: vt in alienis, ita in suis agitare iustitiam, teste C. Plinio Secundo: tamen summum in regibus & principibus bo-

num

num est, iustitiam colere, vt Gregorius scribit: & ius habere supra omnem iniuriam positum, vt Seneca ait: quippe sine qua ne Iupiter quidem principem agere potest, vt Viues dixit. Ex quo Pindarus Iouem Soterem facit vna habitantem cum Themide: REGEM SERVATOREM IVSTVM hoc modo interpretans, vt refert Clemens lib. 5. Stromatum. Sic & Xenophon in Cyro lib. 7. nullas opes viro, ac præsertim Principi, pulchriores honestioresq; censet, quam virtutem & iustitiam: ἐγὼ μὲν οὐδὲν νομίζω γε ἀνδρὶ, ἄλλως τε, καὶ ἄρχοντι, καλλίον εἶναι κτῆμα οὐδὲ λαμπρότερον ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης. Sic & Valentinianus Imperator, cùm summus esset iustitiæ cultor: & iniustos magistratus ac iudices seuerè puniret: subinde in ore habuit dicterium illud: τὸ κρατοῦντα ἀπαιτεῖσθαι πρὸ τῶν ἄλλων δικαιοσύνης φροντίζειν, id est, A PRINCIPE IN PRIMIS FLAGITARI CVRAM IVSTITIAE, vt est apud Zonaram lib. 3. recte quidem illud, vt videtur: Nam, vt Cicero refert, fruendæ iustitiæ causa, initio bene morati reges constituti sunt: qua sola, vt Augustinus ait, sustentatur Respublica: &, vt Salomon, stabilitur thronus, quæ omniũ bonorum causa est. Plane enim (ait Augustinus) remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Bene itaque & eleganter Gregorius: Iustitia regis (inquit) pax est populorum: tutamen patriæ: immunitas plebis: temperies aëris: serenitas maris: terræ fœcunditas: solatium pauperum: cura languorum: gaudium hominum: hæreditas filiorum: denique ipsa sibimet spes beatitudinis futuræ.

Symbolum XI.

FL. VALENTIS.



ALIENVS
AB IRA,
ALIENVS
À IVSTITIA.

[Golz. Suſpicionibus ſecurus.]

Qui nimis eſt facilis dux, & placabilis ira:
Cultor iuſtitiæ non ſolet eſſe bonus.

APud Zonaram lib. 3. Annalium, Valentis Imperatoris hoc Symbolum legitur: ὡς ὁ ταχὺ μετατιθέμενος τῆς ὀργῆς, καὶ τοῦ δικαίου μετάθοιτο τάχιστα, id eſt, QVOD QVI AB IRA, IS À IVSTITIA FACILE DIMOVEATVR. Perinde vt & Domitianus Cæſar principem eum, qui non ſubindè multos puniret, fortunatum magis, quàm bonum, eſſe dixit: propterea, quòd, vt Lactantius ait, nullum imperiũ ſine ſeueritate eſſe poſſit. Fuiſſe autem inexorabilis iracundiæ vterque perhibetur Cæſar: ac propterea conſcientia timidus, ſuſpicioſusque in omnes ac crudelis:

delis: πᾶν γὰρ δειλὸν, φονικὸν καὶ ψοφοδεὲς. Ac verum quidem est, persæpè irascendum esse magistratui, iustitiæ gratia: vt Sosiphanes monet apud Stobæum: δεῖ ὀργὴν, ἡνίκ' ἐνδίκου λαβεῖν: vel, vt Sophocles,

ξὺν τῷ δικαίῳ μεγάλα ἔξεστι φρονεῖν:

Pro iure iustitiaque esse animosum licet. Siquidem non irasci ob eas causas, ob quas irasci oporteat, stultorum est: & omninò eorum, qui omni sensu carent quique nulla iniuria commouentur in se, vel in suos quod admodum est seruile, & non minùs contra officium, quàm temerè irasci, id est, ob eas causas, ob quas non deceat, & iis, quibus nõ oporteat, aut plus, quàm oporteat. Itaque Aristoteles in Nicomachicis laudat iram moderatam: quàm πραότητα vocat, cuius munus est, ὀργίζεσθαι, ἐφ' οἷς δεῖ, καὶ οἷς δεῖ: ἔτι δὲ καὶ ὥστε, καὶ ὅτε, καὶ ὅσον χρόνον: id est, irasci, quib. de causis, & quibus oporteat, ac prætereà, quomodo, & quando, & quandiu oporteat. Quem sanè modum designare, & certis quasi finibus circumscribere, admodum difficile est: vt ne ab homine quidem considerato, nisi ex singulis factis & personis & temporibus, iudicari hoc queat. Eam verò iram Academici veteres cotem fortitudinis dixerunt: & à natura vtiliter attributam hominibus. Quomodo & Plutarchus, σύμμαχον ἀρετῆς ὀργὴν, iram virtutis sociam appellat: χρήσιμον ἐν τε πολέμῳ, καὶ ἐν πολιτείαις, tum in bello, tùm in Republica administranda vtilem. Neque sane hoc sine causa, cùm non irasci sceleribus ac vitiis (vt dixi) ignaui ac dissoluti potiùs esse videatur, quàm viri fortis & iusti, qualem nemo vir bonus magistratum æquo animo ferat. Sed neque tamen ita temere irascendũ est, aut immoderatè, sed consideratè ac moderatè: adeoque ira vtendum tanquam milite, non tanquã Imperatore, secundum Senecam. Maxime autem

prohibenda est ira in puniendo: siquidem nunquam, qui iratus accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum: vt cauendum sit diligenter, ne maior sit pœna, quàm culpa: vt M. Cicero præcipit in Officiis. Nam vbi est feruida vindicta, non est temperata iustitia, secundum Cassiodorum. Quò fit, vt plus sæpe ira exigat in vindicta, quam accepit in iniuria. Itaque ira cùm delinquentium culpas insequitur, non debet menti, quasi domina præire, sed post rationis tergum quasi ancilla famulari, teste Gregorio in Moralibus. Præcipuè vero iustis irasci non conuenit, vt Pentheus monet apud Euripidem in Bacchis:

τοῖς μὲν δικαίοις οὐχὲ θυμοῦσθαι χρεών.

Sed nec ob leuem causam iracundum se exhibere fas est, secundum præceptum illud Epicharmi;

μὴ ἐπὶ μικροῖς αὐτὸς αὑτὸν ὀξύθυμον δείκνυε.

Quod si verò irascendum est, sequendum est Prophetæ illud: Irascimini, & nolite peccare. Concedit ille, quod naturæ est: negat, quod culpæ est. Quod dictum Ambrosius explicans in Officiis: Irascimini (inquit) vbi est culpa? cui irasci debeatis. Fieri enim non potest, vt non rei moueatur indignitate magistratus, alioqui non virtus, sed lentitudo & remissio iudicatur. Et Bernardus? Iustitiæ vigor semper sit feruidus sed nunquam tamen præceps? quò nimirum sit iustitia temperata. Quoniam præceps vbique damnatur iudicium, sed potissimum in exitium, vt Augustinus loquitur. Sic nimirum alia est ira (vt Gregorius scribit) quam impatientia excitat: alia quam zelus reformat: Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Ira per vitium oculos mentis excæcat: ira autem per zelum turbat. Si nobis aut aliis delinquentibus irascimur, non peccamus: nam si alios sic, vt nos, amare

præci-

præcipimus: restat vt sic eorum erroribus, sicut nostris vitiis, irascamur. Ex quo recte Chrysostomus: Si ira (inquit) non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Itaque qui cum causa non irascitur, peccat. Patientia enim sine ratione vitia seminat, & negligentiam nutrit: & non solùm malos, sed etiam bonos ad malum inuitat. Et paulò pòst: Qui cum causa irascitur, non fratri suo irascitur, sed vitio: qui verò irascitur fratri, respiciendo ad naturæ communionem, vel fidei vnitatem, reus erit iudicii. Et alibi: Nec iustitia sine misericordia est iustitia, sed crudelitas: nec misericordia sine iustitia est misericordia, sed fatuitas. Similiter & Clemens distingués, ira (inquit) illa mala est, vbi mentem turbat, vt rectum consilium perdat: Illa verò ira, quæ malos punit, perturbationem mentis non infert. Hæc est enim iusta & necessaria iracundia: qua vnusquisque in iis, in quibus errauit, & perperam gessit, indignatur, & semetipsum incusat. Sic & Bernardus: Non irasci, vbi irascendũ est, nolle emendare, peccatum est. Sic & Lactantius de ira: Irasci (inquit) rationis est, siquidem auferuntur delicta, & refrenatur licentia, quod vtique iuste, sapienter vtique fit. Et alio in loco: Neque iudex aut magistratus veniam dare potest peccatis: quia voluntati seruit alienæ: DEVS solus potest, quia est legis suæ dispensator ac iudex. Quò & Senecæ illud pertinet: Tàm omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli. Et M. Ciceronis istud: Seueritas salutaris inanem vincit speciem clementiæ. Idem eiusdem hoc in Officiis: Nihil est laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementia, quæ ira probanda est, vt adhibeatur Reipublicæ causa seueritas, sine qua administrari ciuitas nõ potest.

Symbolum XII.
FL. GRATIANI.



NON, QVAMDIV *viuas, refert*, SED QVAM BENE:
Nam sat diù viuis, modò si viuas benè.

VTinam tàm diu vixisset, quàm bene imperauit Fl. Gratianus Cæsar: princeps sane religiosus ac bonus: &, vt Homerico versu vtar,

ἀμφότερον βασιλῆος ἀγαθοῦ, κρατερός τ' αἰχμητής:
Tàm bonus imperio rex, quàm dux fortis in armis.

Sed breue tempus ætatis satis longum ad bene viuẽdum ratus, suo quodam Symbolo vsus fuisse scribitur, quod vetus Poëta hoc modo protulit:

NON QVAMDIV, SED QVAM BENE *viuas cogita.*

Nam, secundum Plautum in Trinummo, *vt benè vivitur, diù viuitur.* Et, secundum Chrysostomum, diu

VIXIT,

vixit, qui paucis annis multa talenta lucrifecit, bene viuendo. Etenim, vt satis vixerimus, non anni & dies faciunt, sed animus: vt Seneca scribit in Epist. 62. Neque enim viuit is, cui nihil est in mente, nisi vt viuat, secundum Socratem. Et, secundum Tullium, qui nihil habet in vita iucundius vita: is cum virtute vitam non potest colere. Sæpe itaque fit, vt qui diu viuit, parum vixerit: quia scilicet bene non vixit: eodem Seneca auctore in epist. 50. Quinimò, vt idem scribit, sæpe in hoc est bene viuere, ne diu viuas. Nã &, secundum Aristotelem, melius est bene viuere, quàm vita. Et, secundum Iamblichum, οὐ τὸ ζῆν ἐπὶ πλείστον ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν: non vita maximi est facienda, sed bona vita. Quandoquidem, vt Publius ait:

In vita longa multa accidunt, quæ nolis.
μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφορὰς πολλὰς φέρει?
Quid longa vita fert, nisi multum mali?

vt Menander dixit. Et vt Sophocles?

οὐδὲν μετ' ἄλγος, οἷον ἡ πολλὴ ζωὴ:
Quàm longa vita, nullus est maior dolor.

Sic & Seneca in Hercule OEtæo:

——————— *mortis habet vices,*
Lentè cùm trahitur vita gementibus.

Sic igitur non, vt diu viuamus, curandum est, sed vt bene. Bene autem viuere, est honeste viuere: honeste autem viuere, cum laude & gloria viuere. Sic *breue*, secundum Maronem, *& irreparabile tempus omnibus est vitæ*: adeò *vt si quis peruiuat vsque ad summam ætatem, tamen breue sit spacium*, vt est apud Comicum, sed memoria bene actæ vitæ est sempiterna, quæ profectò si non esset longior, quàm hæc vita: quis esset tàm amens, qui maximis laboribus & periculis ad summam laudem gloriamque cõtenderet? Ex quo

rectè M. Cicero pro Sestio: Vita (inquit) breuis est: gloriæ cursus sempiternus. Et pro C. Rabirio: Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit: immensum gloriæ. Neque enim vita hæc dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur: illa inquam, illa vita est, quæ viget memoria seculorum omnium, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuetur: vt idem scribit Cicero pro M. Marcello. Et in Catone Maiore: Præstantes viri nunquam tanta conati essent, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo vidissent posteritatem ad se pertinere posse. Nonne melius multo fuisset otiosam ætatem, & quietam sine vllo labore & contentione traducere? Sed nescio quomodo animus erigens se, posteritatem semper ita prospicit, quasi cùm excesserit è vita, tùm denique victurus sit. Quamobrem stultè soliciti sunt de vitæ diuturnitate, qui de honestate vitæ parum sunt soliciti, quo ipso vitam maxime negligunt. Pulchre enim Menander:

ἀμελοῦντα τοῦ ζῆν σὺν ἐνεστ' ἀσχημονεῖν:

Qui negligit vitam, haud honestè vixerit.

Sic & Varro in Modio scripsit, non eos optime vixisse, qui diutissime vixerint, sed qui modestissimè. Et Seneca in Epist. 49. Quæris, quod sit amplissimũ vitæ spacium? vsque ad sapientiam viuere. Viuere enim in tota vita discendum est, & quod magis mirandum est, in tota vita discendum mori, eodem Seneca teste in lib. de breuit. vitæ. Et alibi: Quomodo fabula, sic vita, non quam diu, sed quam bene acta sit, refert: nihil ad rem pertinet, quo loco desinamus, quocunque voles, desine: tantùm bonam clausulam impone. Et Augustinus in libro de doctrina Christiana: Plenitudo est & beatitudo perfecta, vt citò quisque intelligat, & bene viuat. Sed si forte vtrunque

trunque non potest: melius est bene viuere, quàm citò intelligere. Qui enim bene viuit, meretur amplius intelligere, qui male viuit, &, quod intelligit, perdit. Sed &, vt Mimus habet:

Male viuunt, qui se semper victuros putant.

Semper enim prorogat in crastinum, sic quid est voluptatis aut rei bonæ. Molestum autem est, vt Seneca testatur, semper vitam inchoare: male viuunt, qui semper viuere incipiunt, quia semper illis est imperfecta vita: quidam tunc viuere incipiunt, cùm desinendum est, si hoc iudicas mirum, adiiciam, quod magis admireris: quidam ante viuere desierunt, quã inciperent, vt est in epist. 23. Sic verum est, quod Simonides dixit, quosdam tempus viuere exiguum, sed annos multos. Nam, vt idem Seneca docet, vita, si scias vti, longa est, sed exigua pars est vitæ, qua nos viuimus: cæterùm omne spatium, non vita, sed tempus est. Sed & hùc pertinet eiusdem sententia illa ex Epistola 49. Non, vt diu viuamus, curandum est, sed vt satis, animo longa est vita, si plena est: impletur autem, cùm animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transtulit. Et Epistola. 22. Nemo quàm bene viuat, sed quàm diu, curat, cùm omnibus possit contingere, vt bene viuant, vt diu, nulli. Et Epist. 78. Vita non est imperfecta, si honesta est, vbicunque desines, si bene desinas, tota est. Et ibidem: Quomodo fabula, sic & vita, non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. Item: Sapiens cogitat semper, qualis vita, non quanta sit. Non enim viuere bonum est, sed bene viuere. Præclare etiam Martialis Epigrammatum libro primo:

Non

Non est (crede mihi) sapientis dicere, viuam: Sera nimis vita est crastina, viue hodiè.

Et libro decimo:

Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est Viuere bis, vita posse priore frui.

Symbolum XIII.

FL. VALENTINIANI IVNIORIS.



[Golz. Nouos parans amicos, ne obliuiscaris veterum.]

Quo benè quis consuevit, AMICVS *is* OPTIMVS *esto:*
Nescis quippe, nouus qualis amicus erit.

PLutarchus in libro de amico & adulatore: Vt nummum (inquit) sic amicum oportet habere probatum, ante quàm eo opus sit. Et Seneca: Expedit iam probatos amicos amare: non amatos probare. Et in

Et in Epist 3. Omnia cum amico delibera, sed de ipso prius: nam post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. Sic & vulgarum illud, quia verum est, in prouerbium venit: DE LIGAS, QVEM DILIGAS. Quo monemur, in amicis deligendis opus esse prudentia: in iisdem verò deligendis fide atque constantia. Plurimum enim refert intelligere, quomodo amici & deligendi, & diligendi sint, cùm eos sequi potissimùm amicos oporteat, quos non pudeat elegisse, vt Bias dixit. Quod & Euripides monet in Heraclidis: non deligendos esse amicos deteriores, si præstantiores habere liceat. Et Pythagoras in Symbolis suis prohibet cuiuis dextram porrigere, id est, in amicitiam vnumquemuis recipere, sed potiùs deligere, quem diligendum putes, quod pulchre & eleganter exponit Plutarchus, περὶ τοῦ πολυφιλίας. Cũ quo Solonis illud conuenit apophthegma, quod ex Apollodoro refert Diogenes Laërtius: φίλους μὴ ζητητός. ὃς δ' ἂν κτήσῃ, μὴ ἀποδοκιμάζε: Amicos ne citò para, quos autem paras, ne repudia. Sic & Isocrates tarde contrahendas esse amicitias, sed contractas perpetuo conseruandas esse monet. Et M. Cicero in Lælio: Vna (inquit) hæc cautio sit atque prouisio in amicitia, vt ne nimis citò diligamus, neue indignos: digni autem sunt amicitia, quib. in ipsis inest causa, cur diligantur. Et paulò pòst: Amici sunt firmi & stabiles & constantes eligendi, cuius generis est magna penuria, & iudicare difficile est sane, nisi expertum. Est igitur prudentis, sustinere vt cursum, sic impetum beneuolentiæ, quo vtamur in amicitia, quasi aquis tentatis, sic aliqua ex parte periclitatis moribus amicorum. Et Plinius: Vt Zeuxis lente pingebat, quod diu duraret: ita diu explorandus amicus, qui sit perpetuus futurus. Nam verum est, quod Aristotelis lib.

les lib. 7. Eudemiorum ſcribit : οὐδὲν ἄνευ χρόνου φίλος: non eſt amicus abſque temporis mora. Quippe, ſecundum Menandrum,

κρίνει φίλους ὁ καιρὸς, ὡς χρυσὸν τὸ πῦρ :
Vt ignis aurum, tempus ita amicum probat.

Nec diſcrepat ab hac ſentẽtia Pindari illa in Pythiis: πειρῶντι καὶ χρυσὸς ἐν βασάνῳ πρέπει, καὶ νόος ὀρθὸς ἀδελφεοὺς ἐπαινήσει ἐσθλούς : id eſt, aurum qui probat, in Lydio lapide probat : & mens recta fratres laudat bonos ac ſinceros. Et Iſocratis hæc in Paræneſi : δοκιμάζει τοὺς φίλους ἐκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας, καὶ τῆς ἐν τοῖς κινδύνοις κοινωνίας. τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν : τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν : Amicos cùm in vitæ calamitate, tùm in periculorum ſocietate cognoſces. Nam vt aurum igne exploratur: Sic amicorum fides rebus aduerſis declaratur. Quam ſentẽntiam M. Cicero ita expreſſit : Vt aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpicitur. Et C. Iul. Cæſar lib. 3. de bello ciuili : Plerunque in calamitate ex amicis inimici exiſtunt. Et Seneca: Aurũ ignis probat: miſeria fortes viros. Et Ouidius lib. 1. Triſt.

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum:
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Cui aſtipulatur Menandri hoc:

χρυσὸς μὲν οἶδε δοκιμάζεσθαι πυρί:
ἡ πρὸς φίλον ὡς εὔνοια καιρῷ κρίνεται :
Aurum quidem probatur igne: Sed fides
Probatur ipſo recta amici tempore.

Verùm cùm amicitia nõ niſi inter bonos eſſe poſſit; vt Cicero docet: (nam amicitia expers virtutis, auctoritas expers veritatis, contemnenda.) Sane tenendum eſt Senecæ illud præceptum, qui monet, vt primum ſe quiſque exhibeat bonum, ac tùm demum quærat alterum ſibi ſimilem & æqualem. Pares enim

pari-

paribus, veteri prouerbio, facilime congregantur: &, vt Q. Curtius scribit, firmissima est inter pares amicitia, in qua & plus valet similitudo morum, quã affinitas, teste Cornelio Nepote in vita Pomponii Attici: ὅμοιον γὰρ ὁμοίῳ φίλον: καὶ ὅμοιον ὁμοίῳ ἐφίεται: id est, Simile simili amicum: & simile appetit simile, teste Aristotele. Ex quo genere est illud: ὁμοιότης ἡ φιλότητος μήτηρ: Similitudo mater amoris: &, vt Plato lib. 8. de legibus ait, φίλον μὲν ὅμοιον ὁμοίῳ κατ' ἀρετὴν, καὶ ἴσον ἴσῳ. Amicum est simile simili, quo ad virtutem, & æquale æquali. Quò fit, vt ea sit iucundissima amicitia, quam morum similitudo conciliat, secundum Tullium in officiis. Et pro Planco: Vetus est lex iustæ veræque amicitiæ, vt idem amici semper velint: nec est vllum amicitiæ certius vinculum, quam consensus & societas consiliorum ac voluntatum. Quo etiam Sallustianum illud pertinet: Idem velle, atque idem nolle, ea demum vera amicitia est. Sic nimirum amicitia fit æqualitas, secundum Pythagoram, vt amicus sit tanquã alter idem: & amicitia vna anima, in duobus habitans corporibus, & amicorum communia omnia. Quæ si hoc modo vera sunt (vera autem quis esse dubiter?) satis manifestum est, veterem amicum & cognitum, nouo & inexplorato fere anteponendum esse. Nam amicitia tantò est certior, quãtò vetustior: quia facile mutari non potest, quod per secula longa custoditur. Neq; magnitudine munerum, sed constantia morum annuetur amicitia, teste Tacito. Sic vera amicitia tantùm inter bonos oritur, inter meliores proficit: inter optimos consummatur, vt Cassiodorus scribit in quadam Epistola. Quod & M. Cicero docet in Lælio, cuius verba integra huc adscribere libet: Existit (inquit) quædam quæstio subdifficilis: num quando amici noui, non

indigni

indigni amicitia, veteribus sint anteponendi: vt ei quis vetulis teneros anteponere solemus. Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerũ, satietates. Veterrima quæque (vt ea vina, quæ vetustatem ferunt) esse debent suauissima: verumque est, quod vulgo dicitur: Multos modios salis simul edendos esse, vt amicitiæ nunus expletum sit. Nouitates autem, si spem afferunt, vt tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sunt illæ quidem repudiandæ: vetustas tamen suo loco conseruanda est. Maxima est enim vis vetustatis & consuetudinis. Atqui in ipso equo (cuius modò mentionem feci) si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consueuit, libentius vtatur, quàm intractato & nouo. Nec modò in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quæ sunt inanima, consuetudo valet, cùm locis etiam ipsis montosis delectemur & syluestribus, in quibus diutius commorati sumus. Hæc Cicero. Sic & Plautus in Truculento:

Certè hercle quàm veterrumus
Homini optimus est amicus.

Et in Casina:

Qui vtuntur vino vetere, sapientes puto.

Quomodo & Pindarus: ἀνὴρ (inquit) παλαιὸν μὲ οἶνον, ἄνθεα δ' ὑμέναν νεωτέρων. Et Siracides: Nouum vinum, nouus amicus, si inueterauerit, melius sapiet. Amicum veterem ne deserito: nam recens ei par non est. Sic & D. Hieronymus ad Ruffum scribens: Obsecro te (inquit) ne amicum, qui diu quæritur, vix inuenitur, & difficulter seruatur, pariter cũ oculis mente amittas. Plane enim, vt vult Seneca, quæque vetustissima in amicitia debent esse suauissima. Et alibi: Amicitia, quæ desinere potuit, nunquam vera fuit. Et Menander:

οὐδεὶς ἐραστὴς, ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ:

Non est amicus hic, qui amare desinit.

Nam, vt Aristoteles scribit lib. 7. Eudemiorum, ἡ φιλία τῶν βεβαίων, ὥσπερ ἡ εὐδαιμονία τῶν αὐταρκῶν ἐστιν: Amicitia stabilium, fœlicitas est temperantium. Nam vt virtus immortalis est, sic amicitia, quæ virtute conciliatur. Vnde recte Liuius lib. 10 amicitias immortales, inimicitias mortales esse debere affirmat. Præclare etiam Cato:

Ignotum noto noli præponere amico:
Cognita iudicio constant, incognita casu.

Item:

Damnaris nunquàm, post longum tempus, amicum.

Et Philo apud Maximum serm. 6. Non, vt vasa noua præstantiora sunt veteribus, sic amicitia quò vetustior, eò melior est. Et Isidorus: Amicitia certa nulla re excluditur: nullo tempore aboletur: vbicunque se verterit tempus, illa firmissima est. Cæterùm quoniam ita ratio cõparata est vitæ naturæque nostræ: vt alia ætas oriatur ex alia, maxime quidem optandum est, vt cum æqualibus possis viuere, quibus cum tanquam è carceribus missus, cum iisdem ad calcem (vt dicitur) peruenire possis Sed quoniam res humanæ fragiles caducæque sunt: semper aliqui acquirendi sunt, quos diligamus, & à quibus diligamur. Charitate enim, beneuolentiaque sublata, omnis est è vita sublata iucunditas: vt egregie docet M. Cicero in Lælio de amicitia. Et Ambrosius: Beneuolentia communis quædam pars est omnium, quæ amicitiam annectit & copulat: in consiliis fidelis: in prosperis læta: in tristibus mœsta. Solatium enim huius vitæ est, vt habeas, cui pectus tuũ aperias: cui arcana communices: cui secreta tui cordis committas, vt colloces tibi fidelem amicum, qui in prosperis ti-

bi gratuletur: in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. Itaque nihil obstat, quo minus etiam senes in adolescentium charitate aliquando acquiescant: & nouas subinde amicitias acquirant, quoties opus fuerit, sicut detrimenta rei familiaris aliis accessionibus resarciri videmus: modó tamen obseruetur vetus illud præceptum: *Nouos amicos parans, ne obliuiscaris veterum.* Multos autem amicos habere multis gloriosum, reprehensioni fuit nemini, vt Plinius Iunior scribit lib. 2. Licet alias notum est Aristotelicum illud: Amici multi, amicus nemo. Solus verò est, qui sine amico est, teste Augustino lib. 6. de ciuit. Dei. Vnde Tyrannus ille in Tragœdia exclamat φίλων ἔρημος ἀπόλλυμαι: Pereo, ab amicis defertus. Et notum est Salustij illud in Iugurtha: Amicorum neque nobis, neque cuiquam hominum satis fuit. φιλία γάρ ἐστιν ἀναγκαιότατον εἰς τὸν βίον: ὅτι ἄνευ φίλων οὐδεὶς ἂν ἕλοιτο ζῆν, ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα: Amicitia est res ad vitam agendam necessaria: siquidem nemo est, qui sine amicis vitam sibi optabilem esse ducat: etiamsi cæterorum bonorum omnium copia circumfluat, vt scribit Aristoteles lib. 8. Ethicorum ad Nicomachum.

Sym-

Symbolum XIV.

FL. MAGNI MAXIMI.

NVNQVAM
PERICVLVM
SINE PERICVLO
VINCITVR.



Periclitatur, qui fugit periculum:
NVNQVAM PERICVLVM SINE PERICVLO VINCITVR.

M. Tullius Cicero in officiis monet, ne offeramus nos periculis sine causa: quo nihil esse possit stultius. Recte quidem, vt videtur, nam, vt bene dixit Seneca,

Citiùs venit periculum, cùm contemnitur.

Et, vt Cyprianus, nemo diu tutus est, qui periculo proximus est. Nam &, secundum Procopium, in periculum nõ necessarium sponte se coniicere, magna est dementia: summæque adeò amentiæ est, ob res præsertim leues discrimen subire, teste Appiano. Sed &, vt Publius ait,

Nunquàm periculum sine periculo vincitur.

Et notum est Græcorum adagium:

κλαίει ὁ νικήσας, καὶ ὁ νικηθεὶς ἀπόλωλεν:

Flet victor, periit victus, victoria tristis.

Sic & Augustus Cæsar aureo hamo eos piscari dixit, qui magno sumptu aut periculo de rebus paruis dimicent. Nam, vt Theognis canit, πᾶσιν τοι κίνδυνος ἐπ' ἔργμασι: *Cunctis rebus inest periculum*: vt Alcæus, ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκόρπιος ὑποδύεται: hoc est, super omnem lapidem surrepit scorpius. Itaque cautione opus est, & animaduersione diligenti. cùm temeritas sit, secundum Ambrosium, periculis se offerre. Neque enim facile opprimitur malo aut periculo, qui malum præcauet, aut periculum obseruat: &, vt Mimus habet:

Non citò ruina perit, qui ruinam prætimet.

Nam, vt idem Mimus vult,

Animus qui vereri scit, scit tutò aggredi:

id est, qui intelligit periculum, cauet periculũ: Qui enim prudenti consilio cedit, & tempori seruit, periculum vitat: & vbi res in periculum vertitur, nihil magis expedit, quàm in promptu optimum capere consilium, auctore Procopio. Verumenimuerò non omne periculum reformidare aut cauere debet vir fortis & sapiens: quandoquidem vera fortitudo in doloris perpessione, periculique susceptione potissimùm versatur: cui secundum Aristotelem, proposita sunt τὰ φοβερά, id est, ea, quæ maxime terribilia sunt, quæ vno verbo mala sunt, cuiuscunque ea generis fuerint, quæ sane cõtemnere, & pro nihilo ducere, magni animi atque excelsi est. Nam, vt Cicero ait, res magnas atq; excelsas sequi & appetere oportet, si fortitudinis partibus vtemur. Et, vt Plutarchus, circa labores ac pericula fortitudine opus est maxime & patientia εἰκὸς γὰρ ἐγχειροῦντα καὶ πράττειν κακῶς: *Pas est periclitari, magna qui gerit*, secundum Sophoclem in Electra. Et, secundum Herodotum, τὰ μεγάλα

γάλα πράτματα μεγάλοις κινδύνοις ἐθέλει ἐς αἱρεῖσθαι: magnæ res, magnis volunt suscipi periculis. Quod & Antigonus confirmat: qui ait, τὰ μέγιστα καλὰ ἄνευ μεγάλων κακῶν οὐκ εἶναι: maxima bona sine magnis malis non existere. Et Diogenes: περὶ τὰ πλεῖστου ἄξια καὶ ἀνατκαιότατα κινδυνοι γίνονται: Circa res, quæ maximi momenti & maxime necessariæ sunt, pericula cõtingunt. Quemadmodum enim, vt est apud Pliniũ, in Bæotia ad Trophonium deum, iuxta flumen Orchomenon, duo sunt fontes: quorum alter memoriam, alter obliuionem adfert: ita fere magno alicui bono, magni mali periculum est vicinum. Quò autem maius est periculum in suscipiendo aut perficiẽdo: eò factum ipsum redditur clarius atque illustrius, vt omninò periclitandum sit ei, qui periculum effugere cupiat. Sic Terentius in Heautontimorumenò: *Non fit* (inquit) *sine periculo facinus magnum, & memorabile.* Nam, secundum Plutarchum, si quid tutum est, id solum vere laudatur: si quid verò fit cum periculo, id quoq; parit admirationem. Virtus enim auida est periculi, vt Seneca vult: &, vt Ouidius: *Apparet virtus arguiturq; malis.* Maxime autem placent periculo quæsita, & in suo quisq; periculo magnum habet animum, vt Plinius loquitur. Itaque vbi paria sunt periculum & præmium, & secundis rebus fructus est amplior, & aduersis maius solatium, auctore Q. Curtio lib. 9. Nam & labor periculumque impenditur, vnde honor & præmium speratur, teste Liuio Dec. 1. lib. 6 Et contra remotiora pericula sæpe tempus non cogitata remedia adferre solet. Quinimò necessaria, nec prorsus voluntaria eligentes pericula, Deus semper adiuuat, vt scribit Procopius lib. 1. de bello Persico. Sed & verum est Xenophonteum illud: τοὺς μὲν ἀγαθοὺς πρὸς τὰ δεινὰ ἐς ἐπικίνδυνα ὄντας, ἀν-

δρείους ἡγοῦ εἶναι: τοὺς δὲ κακοὺς, δειλούς. Item: οἱ μὲν ἐπιστάμενοι τοῖς δεινοῖς τε, καὶ ἐπικινδύνοις καλῶς χρῆσθαι, ἀνδρεῖοί εἰσιν? οἱ δὲ διαμαρτάνοντες τούτων, δειλοί. Qui ad aspera & periculosa boni sunt, fortes sunt, & qui mali, iidem quoque formidolosi. Et paulò pòst: Qui sciunt asperis & periculosis bene vti, fortes sunt, qui verò in hoc peccant, formidolosi. ἀπόμνημ. 4.

Symbolum XV.

FL. THEODOSII MAGNI.

ERIPERE TELVM,
NON DARE
IRATO DECET.

Eripere telum, non dare irato decet:
Sic adimere regnum, non dare, fas est improbo.

Quisquis magistratum committit improbo:
Ensem furenti nonne tradit in manum?

Iamblichus: ὁμοίως ἐπισφαλὲς μαινομένῳ δοῦναι μάχαιραν καὶ μοχθηρῷ δύναμιν.

COmmunis testatur experientia: in heroicis ac præstantibus viris, magnos atque repentinos esse animi impetus, quos reprimere longe sit difficilimum,

limum. Quò fit, vt iracundia plerunque generosos animos irritet: Quod & Cicero fatetur in Epist. ad Atticum, cùm irritabiles esse dicit animos optimorum sæpè hominum, sed eosdem placabiles. Et quanquam maxima aliquando bona fiunt per furorem eiusmodi diuinitùs concessum, vt auctor est Plato: tamen multis exemplis compertum est, iram sæpius sibi & aliis fuisse exitiosam. Quid enim iracundo furor suus confert? quem sæuissimis exagitatum stimulis conscientiæ ita ab omni consilio ac mente deturbat: vt, dum irascitur, insanire credatur, teste Hieronymo ad Demetriadem. Vnde recte Ennius *iram* vocat *initium insaniæ*: quemadmodum Apollodorus insaniam florem iracundiæ nominat: τὸ ὀξυθυμίας (inquit) ἄνθος ἡ μανία. Et Philemon apud Stobæum:

μαινόμεθα πάντες, ὁπόταν ὀργιζόμεθα,
Insanit omnis, quisquis sic irascitur.

Sic & Seneca: Immodica ira gignit insaniã. Et Chrysostomus: Ira consilium non habet. Et Bernardus: iudicii censuram ira eneruat: mollior affectus præcipitat. Nam vt fumus mordicans oculos non patitur videre, quæ pedibus adiacent: Sic iracundia oboriens rationem obfuscat, & quod bonum mens habet à ratione, eo non sinit ipsam iracundia potiri absque labore & molestia, auctore Aristotele. Tunc verò, vt Maro canit, *vim suscitat ira*: quæ vltionem desiderat, teste Lactantio: vere, vt Aristoteles ait, πάθος θηριῶδες μὲν τῇ διαθέσει: συνεχὲς δὲ τῇ λήψει: σκληρὸν καὶ βίαιον τῇ δυνάμει: φόνων αἴτιον: συμφορᾶς σύμμαχον: βλάβης συνεργὸν: καὶ ἀτιμίας χρημάτων ἀπάλεια: ἔτι δὲ καὶ φθορᾶς ἀρχηγόν. Quò fit, vt qui in iram præceps est, per iracundiam multa delinquat, auctore Thucydide: vereque sit is, qui irascitur, secundum Chrysostomum, diaboli ludibrium. Quod sane exemplo no-

tũ est Theodosii Magni Imperatoris, qui ira æstuãs, ob præfectum præsidii cæsum, Thessalonicæ vltra octo millia hominum immisso exercitu contrucidauit: nulla ratione habita aut sexus, aut ætatis, aut innocentiæ cuiusquam. Quam ob causam à D. Ambrosio, Mediolani Episcopo, à communione Ecclesiæ exclusus fuit: donec se pœnitentiæ genere publico expiasset. De quo Augustinus inter alia sic scribit lib. 5. de C. D. Quid fuit Theodosii religiosa humilitate mirabilius? quando in Thessalonicensium grauissimum scelus, cui iam, episcopis intercedentibus, promiserat indulgentiam, tumultu quorundam, qui ei cohærebant, vindicare compulsus est: & Ecclesiastica coërcitus disciplina sic egit pœnitentiã: vt Imperatoriam celsitudinem, pro illa populus orans, magis fleret, videndo prostratam, quam peccando timeret iratam. Sed & hanc posteà animi sui impotentiam Theodosius legi obstrinxit: qua cauit, vt si quem seuerius, quàm pro delicti ratione, puniret rescripsisset: ne iudices intra xxx. dies sententiam hanc exequerentur: quò nimirum, temporis interuallo decocta ira, durior & acerbior emendari posset sententia: De quo est lex eiusdem in Codice: quam de consilio Ambrosii cum tulisse refert Sozomenus. Si (inquit) vindicari in aliquos seuerius contra nostrã consuetudinem pro causæ intuitu inferimus: nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sors & fortuna suspensa sit. Quæ constitutio aliàs à Sidonio Apollinari in Epistolis tribuitur Senatusconsulto Tiberiano, quo reus damnatus xxx. dies vitam post sententiam trahit. Idem refert Tacitus lib. 3. & Suetonius in Tiberio c. 73. in eo tamen dissimiles, quod decem tantùm dierum mentionẽ faciunt.

Sed

Sed & de Theodosio sic scribit Aurelius Victor, quod seuere ab eo præcepta, modica dilatione emolliebantur: quam constitutionem posteà renouauit Nicephorus Botoniates. Quod sane exemplum quoties intuemur, toties nosse vnumquemque decet naturæ & animi sui morbum: & non tàm iram, quam iræ occasionem, sibi præcidere: adeoque tempus & spacium iræ dare, quo deferueſcat. Quandoquidem vt Bias dixit, nihil est tàm contrariũ consilio, quàm ira & festinatio: contrà autem maximum iræ remedium est mora, secundum Senecam. Sicut & à Thucydide lib. 3. mora iræ mitigatio nominatur. Nam, vt Aristoteles ait, tempus quietat iram, quæ alioquin res est impetuosissima ad aggrediendà pericula. Sic & Naso:

Vt fragilis glacies, interit ira mora.

Et Statius:

——*Ne frena animo permitte calenti:*
Da spacium, tenuemque moram: malè cuncta ministrat Impetus.

Et Seneca in Agamemnone:

Da tempus ac spacium tibi,
Quod ratio nequit, sanabit mora.

Sic Athenodorus Augusto Cæsari consilium hoc dedit, ne quid faceret aut iuberet iratus, ante quam elementa xxiv. literarum Græcarum pronuntiaret. Adeò verum est Democriteum illud: Θυμῷ μάχεσθαι χαλεπὸν· ἀνδρὸς γὰρ κρατεῖν βουλεύματος: Iræ quidem repugnare difficile, sed viri bona ratione præditi est, eam vincere. Et Publianum illud:

Iram qui vincit, hostem vincit maximum.

Item & hoc:

Consilio melius vincas, quàm iracundia.

Sed & aliud remedium est iræ, præter moram, nimi-

rum mansueta & prudens amici oratio. Quanquam enim sæpe, vt mimus vult,

Iratus etiam facinus consilium putat:

Tamen, secundum Menandrum,

οὐκ ἔστιν ὀργῆς, ὡς ἔοικε, φάρμακον
ἄλλ', ἢ λόγος σπουδαῖος ἀνθρώπου φίλου:

Non esse videtur aliud iræ remedium,
Oratio nisi grauis amici viri.

Cui simile est eiusdem alterum hoc:

μεγιστόν ἐστιν ὀργῆς φάρμακον λόγος:

Iræ remedium maximum est oratio.

Et Æschyli illud in Prometheo:

ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι:

Sit mentis iratæ remedium oratio:

Sic Chrysostomus: Mansuetudine (inquit) ira soluitur. Et alibi: Mansuetudine nihil potentius. Et Plinius Iunior lib. 9. Tunc præcipua mãsuetudinis laus, cùm iræ causa est iustissima. Nam vt aqua tepida inflammationes, sic oratio plena humanitatis iram restinguit, teste Antonio. Contrà autem, vt Æschylus ait, ὀργῆς ματαίας εἰσὶν αἴτιοι λόγοι: iræ vanæ causa sunt verba, scilicet iniuriosa aut contumeliosa: &, vt Herodotus, τὰ ὀνείδη κατιόντα ἀνθρώπῳ φιλεῖ ἐπανάγειν τὴν θυμὸν, id est, opprobria in hominem coniecta iracundiam excitant. Nam, secundum Ouidium,

Qualibet extinctos iniuria suscitat ignes.

Vnde & Pythagoras vetat, πῆρ τιδήρῳ σκαλεύειν, id est, ignem gladio fodere, quo significatur, ira percitum non lacessendum, aut magis irritandum esse, sed potius blandis verbis placandum, aut mitigandum, vt D. Hieronymus hoc interpretatur. Nam sicut flamma quo magis exagitatur, hoc magis atq; magis inualescit: ita iracundia conuiciis exagitata semper fit ferocior atque immanior, vt est apud Diogenem

Laër-

Laërtium. Qua similitudine etiam vsus est D. Chrysostomus: Quemadmodum (inquit) si ignem cum igne coniungas, maior flamma succenditur: ita iracundia per iracundiam nõ compescitur, sed amplius irritatur. Et alibi: Quemadmodum si infles in scintillam ignis, excitas incendium: contrà verò si inspuas, extinguis: & vtrumque tibi in manu est: Ita si inflatos ac væcordes ingeras sermones, excitas ignẽ iracundiæ in homine: sin mites ac moderatos, priùs quam excandescat, iram omnem extinxeris: quo fit, vt ira inimici tui in manu tua sit. Sed & vt adamas nulla incude rumpitur, sed sanguine soluitur hircino: ita ira nulla vi frangitur, sed charitate emollitur. Mons enim, vt in prouerbio est, cum monte non miscetur. Nam & bestias facilius cicurari videmus, si eas demulceas, vt satis hoc argumento sit, hominis iram silentio consopitam, nec perpetua efferatam irritatione, vi rationis facilius expugnari, teste Basilio. Siquidem, vt Laberius dixit, etiam

Aequum animum indignanti iniquat contumelia.

Et, vt Publius:

Mutat se bonitas, cùm irrites iniuria:
Bonus animus læsus grauiùs multò irascitur:
Furor fit, læsa sæpius patientia.

Maxime autem potentum ira tumensque indignatio non est commouenda: quam ipsi plerunque tegunt ac dissimulant, dum vlciscendi occasio detur: nec nisi lethali ictu ea lenitur: vt Plutarchus monet apud Diogenem Laërtium lib. 8. Nã, secundum Senecam, *grauis ira regum est semper*: &, secundum Publium,

Fulmen est, vbi cum potestate habitat iracundia.

Tunc enim, vt Euripides ait, μεγαλόσπλαγχνος δυσκατάπαυστος ψυχὴ δηχθεῖσα κακοῖσι, id est, vix compesci

potest

poteſt excelſus animus male acceptus. Neq; ſane vana eſt, vt Pindarus loquitur, ira liberorum Iouis, qui ſunt reges ac principes: à qua nulla ſperanda eſt bona gratia: Quinimò potiùs, vt Publius monet,

ERIPERE TELVM, DARE IRATO DECET; Siquidem teſte Iamblicho, ὁμοίως ἐπισφαλὲς μαινομένῳ δοῦναι μαχαιρὰν, ἢ μοχθηρῷ δύναμιν; Æque periculoſum eſt inſano gladium dare, & improbo potentiam: Itaque omnis nocendi adimenda eſt occaſio, ne retineatur ira & augeatur, quaſi argumentum ſit iuſte iraſcendi, grauiter iraſci, vt Seneca loquitur. Neque enim ſunt audiendi, q̃ grauiter iraſcendũ inimicis putant, præſertim in puniẽdo, cùm nihil minus, quam iraſci, punientem deceat: eodem Seneca auctore. Magna enim virtus eſt, ſi non lædas, à quo læſus es: magna eſt fortitudo, ſi etiam læſus remittas, magna denique gloria, ſi, cui potuiſti nocere, parcas, vt præclare dixit Iſidorus in Soliloquio. Cæterùm Theodoſii Cæſ. elogium à Pacato Drepano memoratur illud: Conſilio dux, miles exemplo. Cui ſimile eſt alterum illud Velleii Paterculi de Mithridate Pontico: Conſiliis dux, miles manu. Quomodo etiam Dictys Cretenſis de Hectore teſtatur, nunquam in eo vires fuiſſe potiores conſilio. Sic de Fauno Aboriginum Rege Dionyſius Halicarnaſſæus ſcribit: ἀνὴρ μετὰ τοῦ δραστηρίου ἢ συνετὸς, id eſt, vir pariter impiger & cordatus. Parua enim ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi, auctore Tullio. Præclare etiam Ammianus Marcellinus libro 17. Nihil tàm pulchrum, tamque poſteritatis memoriæ iuſta ratione mandandum: quàm vt miles ſtrenue factis, ductor prudenter conſultis, virtutem ſuam probet.

Sym-

Symbolum XVI.

FL. ARCADII.



[Golz. maxima paulatim ex minimis, minima subitò ex maximis.]

Parua quidem crescunt paulatim, magnaque fiunt:
SUMMA CADUNT SUBITÒ, *magna repente ruunt.*

SEntentia est Aristotelis vulgò trita, & in ore passim omnium celebrata: FACILIUS EST DESTRUERE, QUAM CONSTRUERE. Quæ apud Pindarum in Pythiis extat in hunc modum: ῥᾴδιον δ' (inquit) πόλιν σεῖσαι, καὶ φαυλοτέροις; ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις ἔσται, δυσπαλὲς δὴ γίνεται ἐξαπίνας, εἰ μὴ θεὸς ἡγεμόνεσσι κυβερνατὴρ γίνεται: Facile est quidem, etiam ignauioribus, vrbem dissipare, sed hoc nequaquam in promptu est, vbi euersa sit, ibidem illam statim restituere, nisi DEUS principibus dux, & gubernator affuerit. Quod recte quoque intellexit ciuis quidam Athenienſis, qui eam

cum audiuisset, Philippum Macedonem insolenter de se admodum iactitare, se munitissimam & potentissimam vrbem Olynthum suis copiis & sua virtute cepisse atque euertisse: Ille quidem (inquit) magnam vrbem euertit, sed magnam nullam adhuc condidit. Quid enim in hoc esse potest præcipuè laudis, bene fundata & constituta conuulsa esse atque diruta, quę ferri & flammæ virtus aut vis est: Sed hæc est vera & digna homine gloria, vel iacentia ac prostrata erexisse atque instaurasse, vel de integro speciosa, atque excellentia opera effeciisse. Ac parua quidem paulatim crescunt, vt aliquando fiant magna: at contra, secundum Claudianum,

Magna repente ruunt: SVMMA CADVNT SVBITO.

Nihil enim simul & inuentum est, & perfectum, vt M. Cicero docet de cl. orat. &, vt Fabius, nihil magnum rerum natura voluit effici citò: proposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem. Difficilia enim, quæ pulchra, secundum vetus prouerbium. Contrà autem *summa petit liuor*, secundum Nasonem:

——*summisque negatum*
Stare diu: *nimioque graues sub pondere lapsus*,

teste Lucano. Breuibus siquidem momentis summa verti possunt, auctore Cornelio Tacito: &, vt idem vult, res potentium incertæ. Nam, vt Lucretius canit,

——*Inuidia, ceu fulmine, summa vaporant*
Plerunque, & quæ sunt altis magis edita cunque.

Et, vt Horatius:

Sepius ventis agitatur ingens
Pinus: *& celsa grauiore casu*

Deci-

Decidunt turres: feriuntq; summos
Fulmina montes.

Sic Lactantius: Plus (inquit) habent ponderis ad ruinam, quæ cæteris sunt altiora. Et Seneca: Ad summum quicquid venit, ad exitum prope est. Et alibi: Nulli ferè & magna bona, & diuturna contingunt. Et Velleius Paterculus: Nunquam eminentia inuidia carent, & difficilis in perfecto mora est. Omnia autem præclara rara, nec quicquam difficilius, quã reperire, quod sit ex omni parte absolutum. Neque verò periculum est, ne sit nimium, quod esse maximum debet, teste C. Plinio Secundo. *Satius* est tamen, vnum aliquid insigniter facere, quam plura mediocriter, vt idem scribit Plinius. Quandoquidem, secundum Columellam, magnæ rei, quantulumcunque possederis, fuisse participem, non minima est gloria. Paruum enim nihil tàm est, modo bonum sit, quod gloriam parere non possit, auctore Plinio. Nec magna res statim est bona, sed bona statim est magna, vt Plato scribit in Phædone: οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ: ἀλλ' ἐν τῷ εὖ, τὸ μέγα.

Symbo-

Symbolum XVII.

FL. HONORII.

MALE PARTVM, MALE DISPERIT.

[Golz. Condus requirit pomum.]

Sæpe male pereunt bene parta bona: ac bona semper PARTA MALE PEREVNT, *auctor vt ipse,* MALE.

BEne & eleganter D. Hieronymus: Diues (inquit) aut est iniquus, aut iniqui hæres. Ferè enim accidit, vt nullus, nisi ex alterius damno, sit quæstus, secundum Senecam. Nam, vt Iuuenalis canit:

——— diues qui fieri vult,
Et citò vult fieri: sed qua reuerentia legum,
Quis metus aut pudor est vnquam properantis auari?
Vnde habeat, quærit nemo: sed oportet habere.

Sic

Sic nimirum plerique, vt Flaccus loquitur,

——— huc referunt iuuenes dictata senesque:
O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm:
Virtus post nummos.———

Quæ vulgi sententia apud Diogenianum his verbis extat expressa:

δίζεσθαι βιοτὴν: ἀρετὴν δὲ ὅταν βίος εἴῃ.

Nam, vt idem Satyricus ait,

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Diuitiæ vt crescant, vt opes, vt maxima toto
Nostra sit arca foro.

Et sanè magnam vim in hominum natura, cùm alia habent multa, tùm nihil est lucri cupiditate ad cogendos animos valentius, teste Pausania: nam & aduersorum casuum aciem, & ardorem lucrum obtundit: quod eatenus pulchrum censetur, quatenus cum nulla iactura præbentis ditiorem efficit accipientẽ, vt vult Heliodorus. Enimuerò in quibusdam neq; pecuniæ modus est, neque cupiditatum, quos nulla præda vnquam improbè parta minuit, sed auget potius atque inflammat, quibus Euclionis illud placet apud Comicum:

ἔα μεκερδαίνοντα κέκλησθαι κακὸν:

Modò lucrum faciam, sine vocari me improbum.

Nam secundum Euripidem,

κακοῖς τὸ κέρδος τῆς δίκης ὑπέρτερον.

Lucrum improbis iustitia fit præstantius.

Quandoquidem, vt Menander ait,

οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν:

Nunquàm vir æquus diues euasit citò.

Nam vbi aurum pluit, ibi pluit vitium, teste Gregorio. Sed male profectò sibi consulunt, qui cum aliorum damno suis reb. consulunt. Siquidem verè stulta res est, vt Diphilus nominat, ἡ αἰσχροκέρδεια, id est,

turpis lucri cupiditas, quæ est auaritia: ὅταν ἀφεὶς σκοπεῖν τὰ δίκαια τοῦ κέρδους διὰ παντὸς δοῦλος ᾖς, hoc est, cùm nulla habita ratione iustitiæ, quauis in re seruieris lucro. Neque solùm ea tamen stulta est, sed etiam perniciosa, & sibi aliisq; damnosa, quod homines magnis & multis incommodis conflictentur, propter immensam pecuniæ cupiditatem, quæ nunquàm expletur, nec satiatur, vt non solùm ea, qui habent, libidine augendi crucientur, sed etiam amittendi metu: tùm verò ad extremum opum omnium malè partarum iactura & profusione, quæ verè sunt, vt Bion dixit, fortunæ vomitus. Quemadmodum enim miluus, rapto viuens, viscera aliena præ ingluuie rursus euomit: ita qui in aliorum copias se subitò ingurgitat, modò egens, repentè diues, non ita multò pòst ea rursus effundit, & cum censu vnà sensum perdit. Nam, secundum Sophoclem.

τὰ δεινὰ κέρδη πημονὰς ἐργάζεται:
Calamitates lucra turpia afferunt:

adeoque, vt Menander vult,

τὰ μικρὰ κέρδη μείζονας βλάβας φέρει:
Maiora paruis damna iuncta sunt lucris.

Cui affine est hoc eiusdem:

κέρδη πονηρὰ ζημίαν ἀεὶ φέρει:
Quæstus iniquos damnum semper excipit.

Sic & Euripides in Ioue infœlicem eos messem metere dicit, qui opes & diuitias per fas & nefas sibi acquirunt, vt & aliàs lucrum iniustum τῆς δυστυχίας ἀῤῥαβῶνα, id est, arram infortunii nominat. Et in Electra:

ὅδ' ὄλβος ἄδικος, ὃς μετὰ σκαιῶν ξυνών,
ἐξέπτατ' οἴκων, σμικρὸν αἰθήσας χρόνον:
Iniustæ opes, quas possident mali, euolant
Ex ædibus, paruo florentes tempore.

Et in Iphigenia Taurica:

ἐν τῷ μὲν αἰσχρῶν λημάτων τοὺς πλείονας
ἀτωμένους ἰδοὶς ἄν, ἢ σεσωμένους:
Sic parta lucra non honestis artibus
Obesse, quàm prodesse, cernis pluribus.

Quò etiam Democriti illud pertinet: πλοῦτος ἀπὸ κακῆς ἐργασίας περιγενόμενος, ἐπιφανίστερον τὸ ὄνειδος κέκτηται. Nam verum est Plautinum illud in Pænulo: MALE PARTVM, MALE DISPERIT: seu, quod Idem, MALE PARTA, MALE DILABVNTVR: vt Festus Pomponius hoc citat ex Næuio: cuius etiam meminit M. Tullius Cicero Philippica secunda. Sic Iuuenalis:

Magnis parta malis, cura maiore, metuque
Seruantur: misera est magni custodia census.

Et notum est vulgatum illud:

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres.

Quinimò, vt Chrysostomo placet, pauca malè parta, multa sæpenumerò benè parta perdunt. Sic spes mali lucri plerunque est initium iacturæ, vt Xenophon dixit. Et, vt Antiphon,

τὰ πονηρὰ κέρδη ταὸς μὲν ἡδονὰς ἔχει
μικρὰς, ἔπειτα δ' ὕστερον, λύπας μακρὰς:
Lucris iniquis sunt voluptates breues:
Tandemque longus illa mœror excipit.

Rectè itaque Menander in Monostichis:

μὴ σπεῦδε πλουτεῖν μὴ ταχὺ πένης γένῃ:
Ditescere properans, inops fies citò.

Et Hesiodus:

μὴ κακὰ κερδαίνειν: κακὰ κέρδεα ἶσα ἄτησιν:
Nemo malè lucreris, mala lucra æqualia damnis.

Et Euripides:

ἀδίκως τὰ χρήματα μὴ κτῶ: ἦν βούλῃ πολὺν
χρόνον μελάθροις ἐμμένειν: τάδ' ἀδίκως
οἴκους ἐσελθόντ' οὐκ ἔχει σωτηρίαν:

Ne compares iniuſtè opes, quas perfrui
Cupis diù: nam quicquid iniuſtè domi
Corradis, incolume eſſe non diù poteſt.

Pulchrè etiam, & omninò vere Caſſiodorus in Epiſtolis: Aurum (inquit) & diuitias per bella quærere, nefas eſt: per maria, periculum: per fallacias, opprobrium: per agriculturam verò licitum eſt. Honeſtum autem eſt lucrum, per quod nemo læditur, & iuſte ſibi acquiritur, & nulli præiudicatur.

Symbolum XIIX.

FL. THEODOSII IVNIORIS.

TEMPORI PARENDVM.

[Golz. Præſentem fortunam boni conſule.]

Qui tempori repugnat, ille ſtultus eſt:
At tempori qui cedit, hic cedit Deo:
Nam magnus eſt neceſſitas tanquam Deus.
Sic TEMPORI PARE, *ſequi ſi vis Deum.*

VEtus eſt adagium: γνῶθι καιρὸν, id eſt, Noſce tempus: ſeu, quod idem eſt, TEMPORI PARE. Quod

RE. Quod M. Tullius Cicero lib. 5. de Finibus commemorat inter præcepta veterum Græciæ sapientum; Nemo (inquit) de bonis, & malis vere iudicare potest, nisi omni cognita ratione naturæ, & vitæ, etiam Deorum; & vtrum conueniat, nec ne natura hominis cum vniuersa, quæque sunt vetera præcepta sapientum, qui iubent tempori parere, & sequi Deum, & se noscere, & nihil nimis; Recte sane illud, & omninò diuine. Qui enim tempori paret, necessitati paret; qui necessitati paret, fato paret; qui fato paret, voluntati paret diuinæ; ac imò potius Deo ipsi paret; quemadmodum Socrates præcipit, ἕπεσθαι θεῷ; cui profectò repugnare velle nec tutum est, nec facile. Nam, vt Manilius canit, *Certum est & ineuitabile fatum: quod*, secundum Ouidium, *ratio vincere nulla potest*. Quippe, secundum Menandrum,

θεῷ μάχεσθαι δεινόν ἐστι, καὶ τύχῃ;
Pugnare cum diis, cumque fortuna graue est.
τὸ γὰρ μόρσιμον οὐ πάρφυκτον,
Fatum nemo potest effugere, teste Pindaro: &, vt Euripides ait;
οὐδ' ἔστι μοίρας, οὐδὲ χρεὼν ἀπαλλαγή;
Necessitatis aut fati nulla est fuga.

Nam, vt Menander vult,

τοῦτό τ' ἀνάγκης πάντα δυλεύεται τυχύ;
Sibi cuncta subigit protinus necessitas.

Quippe omni arte efficacior est imminens necessitas, quæ ante rationem est, maxime in bello, aut in rebus aduersis, teste Q. Curtio; adeoque, secundum Liuium, vltimum ac maximum telum necessitas, cui parendum est, quam ne dii quidem superant; & quæ humanæ imbecillitatis efficacissimum iuramentum est, auctore Valerio Maximo; qua nihil est violentius, secundum Nicetam;

Cuius sanè cursus auersi impetum voluerunt
Multi effugere, pauci potuerunt, vt Laberius notat apud Macrobium libr. 2. Saturn. Nam & grauissimi sunt morsus irritatæ necessitatis, vt Sallustius habet: cui parere semper sapientis est habitum. Quò fit, vt iniucundum sit in omni re quicquid intempestiuum est: πᾶν γὰρ ὤκαιρον λυπηρὸν καὶ ἀνιαρὸν, teste Isocrate. Contrà autem quicquid in tempore fit, id, secundum Comicum, rerum omnium primum & maximum plerunque habetur: πάντα γὰρ καιρῷ καλὰ, secundum Sophoclem in OEdipo: &, vt Pindarus canit in Pythiis,

ὁ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφὰν:
Tempus pariter in omni re obtinet fastigium:

καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος, vt est apud Hesiodum, qui occasionem omnibus in rebus optimam esse affirmat. Sic Menander;

καλὸν τὸ καιρῷ πάντος εἰδέναι μέτρον:
ὡς μέγα τὸ μικρὸν ἐστὶν ἐν καιρῷ δοθέν:
Res bella, cuncti nosse temporis modum:
Sic parua res fit magna, si data tempori est.

Quemadmodum enim, secundum Proclum, locus vnicuique corpori ab ipsa natura proprie destinatus est: sic & temporis partes aliæ aliis actionibus conueniunt: adeoque cunctis in negotiis plurimum momenti habet, temporis & opportunitatis obseruatio. Itaque sapienter monent, qui præsentibus rebus cõsulendum esse monent: & scenæ seruiendum ac tempori, & foro vtendum. Quorum ex numero est Isocrates, qui iubet στέργειν τοῖς παροῦσιν, id est, præsentem rerum statum boni consulere, itemq; Phocylides, qui præcipit:

καιρῷ λατρεύειν, μήτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοιτι:
Temporibus seruire, nec Euro velle reflare:

Quem-

Quemadmodum enim, vt Cicero docet, in nauigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas, cùm verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem cœperis potiùs, quam eo commutato, quò velis, tandem peruenire: Sic cùm omnibus in administranda Republica propositum esse debeat cùm dignitate otium: non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. Neque enim hominem vbiuis eundem esse necesse est, sed cum loco, ac tempore variari, & ad omnem vitæ rationem sese accommodare: perinde, vt non eandem esse naturam videmus omnibus locis, nec statuum, nec maris, nec pluuiæ, nec arborum, nec animantium. Itaque non inconstantis est (vt Cicero ait pro Plancio) sententiam, tanquam nauigium aliquod atque cursum, ex Reipublicæ tempestate moderari. Nam & tempori seruiunt ii, qui alioquin imperare videntur, teste Plutarcho: honestumque adeò & laudabile est seruire tempori, cedereque fortunæ saltem ad tempus: siquidem inuentrix consiliorum omnium est necessitas, auctore Heliodoro. Quod recte hoc modo intellexit Demades, qui cùm inconstantiæ cuiusdam in sententia dicenda argueretur: respondit, αὐτῷ μὲν αὐτὴν τἐναντία πολλάκις εἰρηκέναι: τῇ δὲ πόλει μηδέποτε: se quidem contraria sibi sæpenumerò, sed Reipublicæ nunquam dixisse contraria, vt Plutarchus refert in vita Demosthenis. Præclare igitur M. Cicero ad Brutum: Tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum. Et Seneca: Vtamur foro, & quod fors feret, æquo feramus animo. Quod & senatius hic monet apud Athenæum libr. 19.

ἐπὶ τοῖς παροῦσι τὸ βίον διάγειν:

Quæ præstò sunt, in hisce vitam nectito.

Sic & Plato monet in Gorgia τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, id est, boni consulere, quod præsto est. Et Cratinus in Pylæa;

ἄνδρας σοφοὺς χρὴ τόγε παρὸν πρᾶγμ' ὡς καλὸν
εἰς δύναμιν εὖ τίθεσθαι;

Sapientium est virorum, vti, quod adest, boni.
Tanquàm bonum sit, consulant pro viribus.

Symbolum XIX.

FL. PLACIDII VALENTINIANI.

OMNIA
MEA
MECVM
PORTO.



Quæ MEA *sunt, virtus dat, & ars: hæc* OMNIA MECVM
PORTO: *fortunæ cætera serua manent.*

QVoniam bona alia sunt animi, alia corporis, alia fortunæ, secundum Peripateticos; ea sane bona maxima

maxima ſunt, quæ in ipſo animo, atque in ipſa virtute verſantur: vt ex Academicorum ſententia docet M. Tullius Cicero; Quippe quæ ex eo bonorum genere ſunt, quod θεῖον Plato nominat, cùm cætera omnia bona ſint ἀνθρώπινα; eamque ob cauſam caduca & fugacia, quæque vſu ipſo conſumuntur. Quod non fit in virtute, quæ immortalis eſt & æterna; & vſu ipſo quotidie magis ſplendeſcit & augetur; nec furto aut incendio aut naufragio amittitur, ſed vnà cum domino emergit atque enatat; ac ne in morte quidem ipſa poſſeſſorem ſuum deſerit, quem ſemper ipſa efficit meliorem, vt ea abuti is nullo modo queat, quod rei bonæ proprium eſt. Quicquid igitur recte, iuſte, pie, laudabiliterque feceris, tecum ex hac vita auferes, cætera omnia relinques. Nunquam enim poteſt non eſſe virtuti locus, ſecundum Senecam in Medea;

ἀρετὴ δὲ, κἂν θάνῃτις, οὐκ ἀπόλλυται:
ζῇ δ' οὐκ ὄντος σώματος: κακοῖσι δὲ
ἅπαντα φροῦδα συνθανοντ' ὑπὸ χθονός:
Haud interit virtus, nec vbi quis interit,
Sed eſt ſuperſtes corpori: contrà improbis
Commortua tegit ipſa tellus omnia:

vt pulchrè ſcripſit Euripides in Temeno. Et in Andromacha:

οὔτοι λείψανα τῶν ἀγαθῶν
ἀνδρῶν ἀφαιρεῖται χρόνος;
ἁ δ' ἀρετὰ καὶ θανοῦσι λάμπει;
Nunquàm relliquias virum
Aufert bonorum tempus: at
Virtus peremptis morte lucet.

Sic Cicero pro Seſtio: Virtus (inquit) ſe ipſa contenta eſt, & in tempeſtate ſæua quieta, & lucet in tenebris: & pulſa loco manet tamen, atque hæret in pa-

cria, ſplendetque per ſe ſemper, neque alienis vnquam ſordibus obſoleſcit. Et in Paradoxis: Quanti eſt æſtimanda virtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur: qua præditi qui ſunt, ſoli ſunt diuites, quia ſoli poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas: ſoliq́ue (quod eſt proprium diuitiarum) contenti ſunt rebus ſuis, ſatis eſſe putant, quod eſt, nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt. Quod igitur pulcherrimum, idem tutiſſimum eſt, in virtute ſpem poſitam habere, auctore Liuio: quæ, ſecundum Tacitum, proprium eſt hominis bonum: in qua longè plurimum præſidii mortalibus repoſitum eſt. Cæterùm ex eodem genere bonorum ipſa quoque eſt doctrina & ſapientia, quæ & ipſa eſt, non minus ac virtus, in ſua poteſtate, neque fortunæ ſubiecta dominationi: vt cætera bona humana, eaq́; de cauſa rectè dicitur à Menandro, κτῆμα ἀναφαίρετον, quod vi à nemine auferri queat: πόλεμος γὰρ οὐλαφυραγωγεῖ σοφίαν καὶ ἀρετήν. Sapiens enim ſua bona ſemper fert ſecum, vt dicitur: ὁ σοφὸς ἐν αὐτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν. Pectore nimirum opes fert ſuas, non humeris, neque oculis viſendas, ſed animo æſtimandas, quæ domicilio mentis incluſæ, nec mortalium, nec immortalium manibus labefactari poſſunt: & vt manentibus præſtò ſunt, ita fugientes non deſerunt, teſte Valerio. Quod ſatis confirmat exemplum Ariſtippi Philoſophi, qui naufragio facto, è mari expulſus, ſed à doctis viris benigne ſuſceptus, comites ſuos iam amiſſis rebus omnibus miſerrimos factos, adportatus eſt, vt eas ſibi opes compararent, quæ nullis caſibus fortuitis obnoxiæ, cum naufragis ſimul enatarent. Qui & ipſe rogatus, qua re differret doctus

ab in-

ab indocto: Mitte (inquit) ambos nudos ad ignotos, & statim hoc videbis: Ex quo recte Poëta Ouidius:

Viuitur ingenio: cætera mortis erunt.

Item:

Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniiq; bonis.

Sic & Plutarchus scribit, τῆς ἀληθινῆς δ' εὐδαιμονίας τὰ πλεῖστα ἐν ἠθει καὶ διανοίᾳ τὰ ψυχῆς εἶναι, id est, bona esse præcipua in homine, ingenii bonitatem & probitatem animi. Quæ sane causa est, quod Stoici bonum nihil, nisi honestum, dixerunt, quod in animo positum est, cuiusmodi est virtus & doctrina, quorum sententiam pulchre admodum & grauiter exponit M. Cicero in Paradoxis: cuius verba, quoniam ad Symboli huius explicationem plurimum faciunt, adscribere hùc libet. Sic igitur ait: Nunquàm mehercule ego neque pecunias diuitum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime astricti sunt, voluptates, in bonis rebus aut expetendis numerandas esse duxi: quippe cum viderem homines his rebus circumfluentes ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim vnquam expletur, neque satiatur cupiditatis sitis, neque ea solum, quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. In quo equidem continentissimorum hominum maiorum nostrorum sæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla & commutabilia pecuniæ membra verbo bona putauerunt appellanda: cum re, ac factis longe aliter iudicauissent. Potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, vt & improbi habeant, & obsint probis. Quamobrem

rem licet irrideat, si quis vult: plus apud me tamen vera oratio valebit, quam vulgi opinio, neque ego vnquam illum bona perdidisse dicam: si qui pecuniam, aut supellectilem amiserit, nec non sæpè laudabo sapientem illum Biantem (vt opinor) qui numeratur inter septem: cuius cùm patriam Prienam cepisset hostis, cæterique ita fugerent, vt multa de suis rebus asportarent, cùm esset admonitus à quodam, vt idem ipse faceret: Ego verò (inquit) facio: nam OMNIA MEA MECVM PORTO. Ille hæc ludibria fortunæ, ne sua quidem putauit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid est igitur, quæret aliquis, bonum? si quid rectè fit, & honestè, & cum virtute, id benè fieri, verè dicitur, quod rectum, honestum, & cum virtute est, id solum opinor bonum. Sed hæc videri possunt obscuriora, cùm sine expositione exemplorum lentiùs disputantur: vita, atque factis illustranda sunt summorum virorum hæc, quæ verbis subtilius, quàm satis est, disputari videntur. Quæro enim à vobis, nùm vllam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc Rempubl. tàm præclarè fundatam nobis reliquerunt, aut auri atque argenti ad auaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos vnumquemque regum. Vultis, incipiam à Romulo? vultis, post liberatam ciuitatem, ab iisipsis, qui liberauerunt eam? Quibus tandem gradibus Romulus ascendit ad cœlum? iisne, quæ isti bona appellant? an rebus gestis atque virtutibus? quid? Numæ Pompilii minusne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles vrnulas fuisse, quàm filicatas istorum pateras arbitramur? Omitto reliquos, sunt enim omnes pares inter se, præter Superbum. Brutum verò si quis roget, quid egerit in patria liberanda: si

quis

quis itē reliquos eiusdē cōsilii socios, q̄d spectauerint, quid secuti sint, nùm quis existat, cui voluptas, cui diuitiæ, cui denique, præter officium fortis, & magni viri, quicquam aliud propositum fuisse videatur? Quæ res ad necem Porsennæ Q. Mutium impulit, sine vlla spe salutis suæ? Quæ vis Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? Quæ patrem Decium, quæ filium deuouit, atque immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii? quid tenuitas vict° M. Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. & P. Scipiones, qui Carthaginensium aduentum corporibus suis intercludendum putauerunt? Quid Africanus Maior? quid Minor? quid inter horum ætates interiectus Cato? quid innumerabiles alii? nam domesticis exemplis abundamus: Cogitasse quicquam putamus in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse & præclarum videretur? Veniant igitur isti irrisores huius orationis ac sententiæ: & iam vel ipsi iudicent: vtrùm se horum alicuius, qui marmoreis tectis, ebore & auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui cælato auro & argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, similes esse malint. Atque hæc quidem, quæ modò hùc, modò illùc transferuntur, facile adduci solent, vt in rebus bonis esse negent: illud arcte tenent, accurateque defendunt voluptatem esse summum bonum, quæ quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu, cùm tibi siue Deus, siue mater (vt ita dicam) rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est præstantius, neque diuinius, sic te ipse abiicies atque prosternes, vt nihil inter te atq; inter quadrupedē putes interesse? Quicquamne bonum

num est, quod non eum, qui possidet, meliorem facit? Vt enim quisque maxime boni particeps: ita & laudabilis maxime: neque est vllum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus gloriatione sese & prædicatione extollit? Atqui, si voluptas, quæ plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est: eaque, quò est maior, eò magis mentem è sua sede & statu dimouet: profectò nihil est aliud, bene & beate viuere, nisi honeste & recte viuere. Hæc Cicero.

Symbolum XX.

FL. MARCIANI.



[Golz. Quamdiu pacate viuere licet, non est principi decorum, vt arma sumat.]

PACE FRVI *quando fas est, fas* MARTE CARERE:
Nam pacem quarit rex quoque Marte bonus.

Fl.

FL. Marcianus Imperator non solùm militia, sed & prudentia clarus, mitis admodum & moderatus fuit princeps. qui arma nunquam, nisi prouocatus, sumpsit: & pacem, quoad fieri potuit, maxime coluit: Symboli loco vsurpans illud: IMPERATORIA ARMA NON ESSE INDVENDA, DVM IN PACE ESSE POSSIT. Sic enim apud Zonaram legitur: μὴ δεῖν ὅπλα τὰ βασιλέα κινεῖν, ἕως εἰρήνη δεινὴ ἐξόν. Quod Pomponius Lætus hoc modo refert: DONEC LICEAT IN PACE VIVERE, NON DECERE PRINCIPEM SVMERE ARMA. Bene illud sane & prudenter: Nam & ob hanc ipsam causam solùm bella suscipienda sunt, vt in pace sine iniuria viuatur, vt scribit M. Tullius Cicero in officiis. Neque enim quæritur pax, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur, teste Augustino. Bellum enim pacis caussa est, secundum Sallustium: &, secundum Liuium, pacem etiam colunt, qui vincere possunt. Melior enim est tutiorque certa pax, quam sperata victoria, eodem Liuio auctore, cùm nulla victoria tàm fœliciter cesserit, quin plùs attulerit mali. Itaque nunquam pax repudianda est, nisi sub eius nomine lateat bellum, vt Cicero vult: aut nisi falsa pax sit, id est, vt Hugo interpretatur, aut pax æstimata, aut pax simulata, aut pax imperata. Sæpe enim pax aut æstimatur à nescientibus, aut simulatur à non habentibus, aut imperatur à non tenentibus, cùm è diuerso veræ pacis tres sint species, scilicet pax probata, pax confirmata, pax certa, quæ semper bello potior habenda est: adeoque secundum Tullium iniquissima pax iustissimo bello anteferenda. Nam & iustum bellum quandoque detestandum est, si Augustino credimus: cuius non solum aduentus, sed

metus ipse affert calamitatem, teste Tullio. Neque verò bellum est iustum, nisi quod necessarium est, neque pia sunt arma, nisi quibus nulla, nisi inermis, spes relinquitur, vt est apud Liuium Dec. 1. lib. 9. Sic militare, secundum Augustinum, delictum non est, sed propter prædam militare, peccatum est. Nam & apud veros Dei cultores bella patrata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, vt & mali coërceantur, & boni subleuentur. Solet quidem vna & vetus esse causa bellandi, profana cupido imperii & diuitiarum, vt Sallustius ait, aut vt Tacitus, penes aliquos durum & opes præcipuæ bellorum causæ: siquidem, eodem Sallustio auctore, libidinem dominandi causam belli habent: & maximam gloriam in maximo imperio putant. Sed male hoc quidem, imo pessime. Sola quippe nocendi cupiditas, & vlciscendi crudelitas, sola feritas rebellédi, & libido dominandi, solus implicitus atque implacabilis animus, & si quæ sunt similia: hæc nimirum sunt, quæ in bellis iure culpantur: eodem Augustino teste. Potius illud consideratur, an bona causa fuerit pugnantis, quo casu belli exitus malus esse non potest, sicut nec bonus iudicari finis, nisi causa non bona, & intentio non recta præcesserit, vt Bernardus loquitur. Nullumque adeo bellum graue est, nisi quod causa debilitat: quando nil triste pauet, cui maiestas arriserit, teste Iornãde. Consensu autem omnium mortalium iustissima belli causa, propulsare iniurias, & tueri armis socios, liberos, coniuges, ipsam denique patriam & Rempublicam. Fortitudo enim, quæ per bella tuetur a barbaris patriam, aut defendit a potentibus infirmos, aut a latronibus socios, plena iustitia est, teste Ambrosio. Qui igitur desiderat pacem, præparat bellum, secundum Vegetium,

quo-

quoties scilicet opus aut necesse est, id est, quoties vlciscenda est publica iniuria, aut quoties gens vel ciuitas plectenda est: quæ vel iudicare neglexit, quod à suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est, vt Augustinus hoc definit. Sic bellum iustum aut est defensio legitima, aut recuperatio legitima, aut denique pœna legitima, quæ fit auctoritate magistratus, & pars est publica vindicationis, eaque legibus concessa, & diuinitùs mandata. Hinc Epaminondas Menoclidi, cùm is suaderet populo, vt pacem haberet bello potiorē: Fallis (inquit) ciues tuos, qui otii nomine eos ad seruitutem vocas. Pax enim bello paratur, quam tueri non licet, nisi ciues ad bellum instructi sint. Cæteroquin verò bellum minime bellum, ac imò potiùs belluinum est. Quandoquidem, vt Poëta canit:

Pax homines, sæuas trux decet ira feras.

Sapientissima igitur est oratio Cyri apud Xenophontem libr. 5. sic agendum esse, vt quàm minimum sit bellotum. Sapientis enim est à bello abstinere, etiamsi graues belli caussas habeat, eodem auctore Xenophonte lib. 6. de reb. gestis Græcor: Quomodo etiam M. Cicero monet in Philippicis, paci semper consulendum esse, quæ nihil habeat insidiarum. Neque verò quisquam adeò imprudens est aut insanus: qui bellum potius, quàm pacem, eligat, secundum Herodotum: οὐδεὶς (inquit) οὕτως ἀνόητός ἐστιν, ὅστις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται. Pax enim maximum est homini bonum: bellum verò maximum malum, teste Augustino. Nam vt pace ciuitates construuntur: ita bello destruuntur, vt idem scribit Augustinus. In pace causæ & merita spectantur: vbi bellum ingruit, innocentes ac noxii iuxtà cadunt: in turbas & discordias pessimo cuique plurima vis, pax & quies bonis arti-

bus indigent, auctore Tacito. Quo fit, vt secundum Platonem, nihil sit periculosius Reipublicæ, quam belli discordia, nihil verò vtilius, quam pacis concordia. Pax enim, secundum Tullium, est tranquilla libertas, cuius nomen dulce est, & res ipsa salutaris: quæque, vt Chrysostomus ait, omnis gaudii est materia: Pacis enim bono omnia constant, & tale bonũ est pacis, vt in rebus creatis nihil gratiosius audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil vtilius possideri soleat, vt Augustini verbis vtar. Pax autem sine iustitia esse non potest, quia duæ sunt amicæ, Iustitia & Pax, quæ se ipsæ mutuò osculantur, secundum Psalmum, vt si amicam pacis non ames Iustitiam: non te vicissim amet ipsa Pax, neque ea ad te veniat, vt Augustinus hoc explicat. Sic & Pindarus in Pythiis, *filiam Iustitiæ Pacem* nominat, quæ magnas vrbes conseruet, quæque consiliorum & bellorum claues possideat. Sic enim ait: φιλόφρων ἡσυχία δίκας μεγιστόπολις θυγάτηρ, βουλαῖ τε, καὶ πολέμων ἔχοισα κλαίδας ὑπερτάτας.

Rectè igitur Maro:

Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes.

Et Silius:

——— *Pax optima rerum,*
Quas homini nouisse datum est: pax vna triumphis
Innumeris potior.

τίκτει δὲ τεθνατοῖσιν εἰρήνη μεγάλα,
πλοῦτον, καὶ μελιγλώσσων ἀοιδῶν ἄνθεα,
δαιδαλέων τ' ἐπὶ βωμῶν θεοῖσιν τίθεσθαι βοῶν ξανθῇ
φλογὶ μέριδα, εὐτρίχων τε μήλων,
γυμνασίων τε νέοις αὐλῶν τε καὶ κώμων μέλειν:
συμποτίων δ' ἐρατῶν βρίθοντ' ἀγυιαί,
παιδικοὶ δ' ὕμνοι φλεγόντ', &c.

Vt

Vt in hymno est Bacchylidæ apud Stobæum serm. 53. cuius summam eleganter & concinnè complexus est Sabinus Poëta his versibus:

Pace nihil melius, nil pace salubrius orbi
Terrarum, cœli qui regit astra dedit.
Pace Dei cultus, legumque verecunda potestas,
Et sacra Musarum gloria pace viget.
Pace frequens affert Hymnæus gaudia sponsis:
Educat & castus pignora casta torus.
Pace suas mercator opes, sua rura colonus
Possidet: absque metu carpit & hospes iter.
Tunc resonant citharæ; tunc saltibus apta iuuentus
Ad numerum cœtu ducit ouante choros.

Sic & Præco apud Euripidem in Supplicibus:

ὅσῳ τε πολέμου κρείσσων εἰρήνη βροτοῖς:
ἡ πρῶτα μὲν μούσαισι προσφιλεστάτη,
ποιναῖσι δ' ἐχθρὰ, τέρπεται τ' εὐπαιδίᾳ,
χαίρει δὲ πλούτῳ!

Quantò potior pax est bello mortalibus?
Pax dico, quæ Musarum amica maxima;
Pœnarum & hostis, prole gaudet optima;
Opumque gaudet sic beata copia.

Denique pax non modò ipsa dulcis est, sed etiam ipsius nomen blandum ac suaue: nam res ipsa salutaris. Hac enim agri, hac vrbes, hac res priuatæ, hac res publicæ, hac denique regna constituuntur & cõseruantur. Mihi quidem (ait Tacitus) ita semper visum est, qui pacem negligerent, hos summam hominum fœlicitatem haud satis cognoscere. Totius enim fœlicitatis fructus pax est. Quid enim proderat dispersos homines eloquentia conciliasse, nisi conciliatos pax ipsa in societate & charitate contineret. Cæterùm bellum ne magis nobilitet, quam Pax, & nùm magis pace lucrosum sit bellum, & bellone, an

pace principatus aut imperium faciliùs obtineatur: vide egregium locum apud Xenophontem in libro de vectigalibus, vbi inter alia sic concludit, fœlicissimas esse ciuitates: quæ quàm longissimo tempore in pace permanserint:

φεύγειν μὲν οὖν χρὴ πόλεμον, ὅστις εὖ φρονεῖ:
εἰ δ' εἰς τόδ' ἔλθοι, στέφανος σὺν αἰσχρὸς πόλει,
καλῶς ὀλέσθαι· μὴ καλῶς δ', δυσκλεές:

vt Cassandra ait ad Hecubam apud Euripidem in Troade, significans nimirum, fugiendum esse cuiuis sapienti homini bellum, si tamen hoc suscipiendum sit: non turpem esse gloriam patriæ, fortiter perire, non fortiter verò, ignominiam esse ac dedecus. Sic & Thucydides lib. 1. Vt modestia est (ait) quiescere, si non afficiatis iniuria: ita iustitia est, cùm iniuria afficimur, bellum paci anteferre: & repressa iniuria post bellum rursus pacem facere: nec aut successu in bello elatos plura appetere: nec pati iniurias mollitie & amore otii. Et idem lib. 2. Stultum est mouere bellum, si florente statu liceat retinere pacem: Sin autem necesse est, aut cedentes imperata facere, aut pericula adire, libertatis retinendæ causa: magis reprehendendus est is, qui fugit pericula, quàm qui sustinet. Suffragatur his Plinii illud in Panegyrico: Nec prouoces bella, nec timeas.

Sym-

Symbolum XXI.

FL. LEONIS MAGNI.

REGIS
CLEMENTIA
VIRTVS.

Solis vis, calor est: REGIS CLEMENTIA VIRTVS:
Sol, rex, aut Solis sic mihi frater erit.

SOl ille dux & princeps & moderator luminum cœlestium, qui mundum radiis illustrat suis, nunquam expectat preces, vt exoriatur, & cuncta luce sua lustret atque compleat: sed sponte sua & gratis fulget ac lucet: & ceu Iupiter salutaris salutatur ab omnibus, quibus salutare lumen suum accommodat. Sic princeps & rex bonus, qui populi sui moderator est & dux, & veluti alter Sol in terris: aut, vt quibusdam placet, Solis frater, non expectat preces, nedum plausus aut strepitus aut laudes eorum, quibus bene facere vult, sed sponte & vltrò lumen vultus sui salutare conspiciendum præbet omnibus: & beneficentiam suam exercendo, æque ac Sol ab vniuersis & singulis amatur. Sed & illud com[illegible] habet

bet Princeps cum Sole, quod vt ille vim quandam exercet suam & efficientiam in corpora ista inferiora, non minùs ac in reliqua corpora cœlestia, à quibus tamen, nihil vicissim accipere, &, vt Græci loquuntur, pati potest: Sic princeps potestatis & fœlicitatis suæ documenta aliis subleuandis hominibus inferioribus dare solet: Ipse autem ab his non recipit mutuum: & si aliquid vicissim recipit, nihil quicquam præter laudem & prædicationem, animi certè grati, & memoris testem, ac veluti obsidem, vnquam recipit. Quo equidem Symbolo ac veluti emblemate plurimùm delectatus fuisse scribitur Fl. Leo I. Imperator, qui cùm aliis virtutibus ornatus; tùm clementia inprimis, sæpè dicere solitus fuit: PERINDE VT SOL, QVIBVS AFFVLSERIT, IIS CALOREM SVVM IMPERTIRI SOLEAT: ITA AB IMPERATORE CLEMENTIAM EIS TRIBVENDAM ESSE QVOS ASPEXERIT. Græca verba apud Zonaram hæc sunt: ὅτι ὥσπερ ὁ ἥλιος οἷς ἐπιλάμπει, τῆς θερμῆς αὐτοῦ μεταδίδωσιν: οὕτω δεῖ καὶ τὴν βασιλέα, οἷς ἂν ἐπιβλέψῃ, οἰκτου αὐτοὺς ἀξιοῦν. Sensit nimirum optimus Imperator, non oportere quenquam à facie principis tristem discedere, quod Titium Cæsarem in ore habuisse memorat Sex. Aurelius Victor: neque quicquam magis Imperatorem Romanum commendare gentibus, quàm clementiam, quod M. Aurelium Antoninum Philosophum dixisse auctor est Vocatius Gallicanus. Nam, vt Seneca ait, omnibus hominibus necessaria est clementia: maximè autem decora Imperatoribus. Et, vt Pompon. Lætus, clementia & liberalitas potissima dos est in principe. Et, vt Cicero, omnibus odio est crudelitas, & amori pietas & clementia. Nihil enim violentum diuturnum, & nihil magnum, nisi quod placidum. Quem-

ad-

admodum igitur, secundum Basilium, regiapum aculeus est, sed eo ad vlciscendum is non vtitur: ita vt quisque maxima est potentia præditus princeps, eò maximè is in puniendo esse tardus debet, & in ignoscendo misericors. Maiorem enim potestatem non oportet esse noxiam, cùm tantò animus hominum moderatior esse debeat, quantò vehementius nocere potest, teste Seneca. Nam & principi certior est securitas ex mansuetudine, quia frequens vindicta, siquidem paucorum odium reprimit, omnium irritat. Sola autem misericordia est, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant, vt Cassiodorus scribit in Epistolis: adeoque misericordiæ virtus tanta est, vt sine illa cæteræ virtutes etiamsi sint, prodesse non possint, vt Leo Pontifex dixit. Nimirum hæc virtus est, quæ sola nos pares Deo facit. Quippè cùm nihil sit tàm peculiare imperialis maiestatis, quàm humanitas, per quam solam Dei seruatur imitatio, vt Imperator Iustinianus loquitur in l. vltim. C. lib. 5. tit. 16. Nam sola hac virtute, vt idem Imperator ait, princeps Dei beneuolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam (quantum naturæ humanæ possibile est) imitatur, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pœnitentiam suscipere nostram, & ad meliorem eam statum deducere. Quò fit, vt si princeps circa subiectos imperio facere hoc nolit, nulla venia dignus esse videatur, vt est in l. 23. tit. 4. C. lib. 5. Sic idem Iustinianus Imperator in Auth. coll. 2. tit. 2. sibi à Deo traditos esse dicit homines oppressos, vt eis per omnia parcat, Dei ipsius sequendo benignitatem. Nam & Deus Solem suum omnibus exoriri benignè patitur, tàm malis, quàm bonis. Cauendum itaque, ne eundem Solem occidere patiamur super iracundiam nostram, vt A-

postolus monet. Quid enim agemus in die iudicii (libet enim D. Hieronymi verba vsurpare) super quorum iram non vnius diei, sed tot annorum, Sol cœlestis occubuit? Iraque mitescat sæuitia: mansuescat iracundia: nec sit exactor vindictæ, qui petitor est veniæ. Irasci siquidem est hominis, ac finem iræ ponere, Christiani. Recte igitur apud Claudianum Theodosius Imperator Honorio filio salubre hoc dat consilium:

Sis pius inprimis: nam cùm vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Et Poëta Ouidius lib. 1. de Ponto, eleg. 3.

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox:
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

Memorabile est, & rarum exemplum Hadriani, qui imperium adeptus, inimico dixit: EVASISTI, quod parui & abiecti animi esse duceret, exercere inimicitias cum inferiore. Sic nihil est laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate atq; clementia, teste Cicerone. Nam & rusticus ille atq; morosus Demea re ipsa reperit,

Facilitate nihil homini esse melius, neque clementia,

vt est apud Comicum. Postremò Colophonis loco addere placet hùc Theodorici regis ad Clodoueum dictum illud: Magnificus triumphus ac dignus te est, multitudinem insontem, cui fortuna belli ac numen pepercit, tibi supplicare, teque illi salutem ac incolumitatem concedere, vt secundum superos nullus sit, cui plùs se acceptum referre ipsi prædicent. Tu quoque cæteras virtutes tuas hac clementiæ palma ac condonandæ vitæ laude cumulare statuas: quæ vna re quàm proxime potest ad Deum Opt. Max. accedere: vt te & sibi natum, & regnare seculum nostrum

strum lætetur, glorieturq; se cum veterum fœlicitate certare. Ita P. Æmyl. lib. 1.

Symbolum XXII.

FL. LEONIS IVNIORIS.



[Golz. Amicum possidę, vt inimicum fieri posse putes.]

Par vitium, cunctis, & nulli fidere velle:
Fide bonus, diffide malis, si fidus AMICO,
FIDE *quidem, sed* TANQVAM INIMICO *fide futuro.*

SEneca in Epistola 3. Vtrumque (inquit) in vitio est, & omnibus credere & nulli. Quod & apud Publiũ Syrum legitur in Mimis: *Vtrumque vitium est, nulli credere, & omnibus.* Rectè illud, meo quidem iudicio. Nam vt omnibus fidere stultum est: ita nulli fidere inhumanum. Illud quidem honestius, hoc verò turpius est, teste Seneca. Itaq; VIDENDVM, CVI sit FIDENDVM. Nam vt fides maximum est vinculum bonis amicis, secũdum Liuium: ita credulitatis facilitas pes-

ſima, præſertim in inimicis, teſte Bernardo. Quod Mimus ille Publianus docet, ex quo hoc Symbolum natum eſt:

ITA AMICVM HABEAS, POSSE ET FIERI INIMICVM PVTES.

Cui reſpondet Biantis illa ſententia: δεῖ φιλεῖν, ὥσπερ μισήσοντα, μισεῖν δ' ὥσπερ φιλήσοντα: Sic amandum, tanquam ſis oſurus, & ſic odio habendum, tanquam ſis amaturus, vt eſt apud Diogenem Laërtium. Quam ſententiam Sophocles ita expreſſit in Aiace flagellifero:

ἐγὼ ἐπίσταμαι μὲν ἀρτίως, ὅτι
ὅτ' ἔχθρος ἤμην, ἐς τόσιν δ' ἐχθραντέος·
ὡς καὶ φιλήσων αὖθις· ἐς τοῦτ' φίλον
τοσοῦθ' ὑπουργοῦν ὠφελεῖν βουλήσομαι
ὡς αἰὲν μενοῦντα· τοῖς πολλοῖσι γὰρ
βροτῶν ἄπιστός ἐσθ' ἑτερείας λυμήν:

Hoc ipſe didici nuper, vt ſi quando ſim
Inimicus vlli, hunc oderim hactenus, velut
Aliquando amicum habiturus: ergà amicum item
Officia ſic exerceam, vt qui non ſiet
Semper futurus amicus: etenim plurimis
Sodalitatis portus eſt tutus parùm.

Sed profectò tantum abeſt, vt ſententia illa Biantis, aut Publii comprobari ſoleat, vt multò magis approbari hoc debeat: cum amico ita agendum eſſe, quaſi hoſtis nunquàm fieri poſſit: & rurſus ita habendum inimicum, ceu mox amicus fieri debeat. Quod Publius etiam docere videtur in Mimis, cùm ait:

ITA CREDE AMICO, NE SIT INIMICO OPVS.

Nam & Ariſtoteles in Rhetoricis hoc modo corrigit Biantis illam ſententiam: ὅτι οὐ δεῖ, ὥσπερ φασὶ, φιλεῖν ὡς μισή-

μισήσοντα: ἀλλὰ μᾶλλον μισεῖν, ὡς φιλήσοντα: Non esse amandum, quasi osurus sis, quod aiunt, sed multò magis ita exercendum odium, tanquàm sis aliquando amaturus: Et paulò pòst: δεῖ φιλεῖν, ἐχ ὥσπερ φασὶν, ἀλλ' ὡς μισήσοντα, ἀλλ' ὡς ἀεὶ φιλήσοντα: Ama non tãquàm osurus, quod dicitur, sed tanquàm amaturus perpetuò. Sic enim futurum est, vt neque temperariæ amicitiæ, neque immortales inimicitiæ cuiquam sint suscipiendæ. Nam, vt Euripides ait in Troadibus,

ἐδεὶς ἐραστὴς, ἥτις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ:

Non est amicus hic, qui semper non amat.

Sed & sententiam hanc Biantis ex Scipionis sententia pulchrè admodum & eleganter refutat M. Tullius Cicero in Lælio de Amicitia: Negabat Scipio (inquit) vllam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quàm eius, qui dixisset: Ita amare oportere, vt si aliquando esset osurus. Nec verò se adduci posse, vt hoc (quemadmodum putaretur) à Biante dictum esse crederet, qui sapiens habitus esset vnus è septem, sed impuri cuiusdam & ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam reuocantis, esse sententiam. Quonam enim modo quisquam amicus eius esse poterit, cuius se putabit inimicum esse posse? Quinetiam necesse erit cupere & optare, vt quàm sæpissimè peccet amicus, quò plures det sibi tanquàm ansas ad reprehendendum. Rursum autem rectè factis commodisque amicorum necesse erit angi, dolere, inuidere. Quare hoc quidem præceptum, cuiuscunque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potiùs præcipiendum fuit, vt eam diligentiam adhiberemus in amicitias comparandis, vt ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus: Quinetiam si minus fœliciter in diligendo fuissemus: ferendum id Scipio potiùs quam inimicitiarum tempus

cogi-

cogitandum, putabat. Hactenus Cicero. Similis ferè locus est apud Valerium Max. libr. 7. Bias ita aiebat, homines in vsu amicitiæ versari, vt meminissent eam ad grauissimas inimicitias posse conuerti. Quod quidem dictum prima facie nimis fortasse callidum videtur, inimicumque simplicitati, qua præcipuè familiaritas gaudet, sed si altioribus animis cogitatio dimissa fuerit, perquam vtile reperietur. Atque hæc ego quidem vera esse concedo, cùm de amicitiæ idea & perfecta quasi forma agitur, quæ optari faciliùs, quam inueniri, potest: cum qua non satis congruere videtur Biantis illa & Publii sententia. Quippè in qua semper deligendum est priùs, quàm diligendum, ac deinceps in diligendo perseuerandum. Nam vbi ea amicitia permanet, nihil facilè creditur, nihil facilè recipitur, quod dissidium possit operari, auctore Chrysostomo: Siquidem, vt Poëta ait,

Verus amor nescit habere modum.

At verò in vita communi præceptum est vtilissimum & saluberrimum, non temere fidere, sed interdũ diffidere, etiam amico, ne dum inimico. Nam verum est, quod Theognis dixit,

παῦροίτοι πολλῶν πιστὸν ἔχουσι νόον:

Paucis, è multis, fidus inest animus.

Cùm paulò antè dixisset Poëta:

πίστει χρήματ' ὄλεσσα, ἀπιστείῃ δ' ἐσάωσα:

Fiso res periit, diffiso salua remansit.

Quemadmodum & Demosthenes vnam salutis & fortunarum custodiam à natura datam esse affirmat diffidentiam: ἕν τι κοινὸν (inquit) ἡ φύσις τῶν εὐφρονούντων ἐν ἑαυτῇ κέκτηται φυλακτήριον: ὃ πᾶσι μὲν ἐστιν ἀγαθὸν καὶ σωτήριον: μάλιστα δὲ τοῖς πλήθεσι πρὸς τοὺς τυράννους· τοῦτο μὲν ἐστιν ἀπιστία: ταύτην φυλάττετε: ταύτης ἀντέχεσθε: ἂν ταύτην σώζητε, οὐδὲν μὴ δεινὸν πάθητε: Vnum inest commune quod-

quoddã munimentũ animis hominũ à natura, quod cùm cæteris omnibus bonum est atque salutare: tùm plebi maximè contra tyrannos. Quodnam igitur est? Non temerè credere, vel, si vno verbo licet dicere, diffidentia: hac nimirum salua, salua sunt omnia. Sic Sophocles in Antigona:

σώφρονος ἀπιστίας
οὐκ ἐστὶν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς:
Prudente diffidentia
Nil melius aut vtilius est mortalibus.

Et notum est Epicharmion illud apud M. Tullium Ciceronem, in libro de petitione consulatus: *Neruos atque artus esse sapientiæ, non temerè credere.* Sic enim ait Epicharmus:

νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Quod & Pythagoras monet in Symbolo illo suo: μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιὰν: Non cuiuis dextram iniiciendam esse, id est, nec citò amicitias admittendas, nec remittendas temere, quorum alterum præcipitis, alterum inconstantis vitio hominem suggillat. Et Menander:

μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιστεύειν ἀεί:
Credenda cunctis esse cuncta ne putes.

Et Ouidius:

Nec citò credideris: multum citò credere lædit.

Cum quo congruit Sophoclis illud apud Plutarchum in Artaxerxe:

ταχεῖα πειδὼ τῶν κακῶν ὁδοιπορεῖ:
Persuasio magnum ad malum ducit cita.

Quod ita verum esse Alcibiades comprobauit suo exemplo, qui cuidam dicenti, an non fidem habeat patriæ de se iudicaturæ: Ego sanè (inquit) ne matri quidem, vereor enim, ne & ipsa insciens nigrum calculum pro albo immittat. Et Apollonius percunctã-

ti regi-

ti regi suo, quanam ratione tranquillè & pacate regnum suum administrare possit: Si (inquit) paucis fidem habeas. Sic & Hesiodus ne fratri quidem fidem habendam esse præcipit: siquidem, vt Naso canit,

Fratrum quoque gratia rara est, &
πίστις ἄρα ὁμῶς, καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας:
Fidere tot simul & diffidere perdit amicos.

Sed & recte Philosophus sic inter hostes viuendum censuit, tanquam inter amicos, & inter amicos, ac si in mediis hostibus viueretur, teste D. Chrysostomo in Policr. lib. 3. Sic verum est Nasonis illud:

Quos credis fidos effuge, tutus eris.

Symbolum XXIII.

FL. ZENONIS ISAVRICI.

MALO NODO
MALVS CVNEVS.



[Golz. Ingenti nodo cuneus iungetur acutus.]

MALO MALVS *plerunq;* NODVS CVNEO
Infringitur: clauusq; clauo pellitur:
Fraus fraude, vis vi sæpè sic retunditur.

QVanquàm malum malo non medicandum est, secundum Herodotum in Thalia, cum ait, μὴ τὸ κακὸν τῷ κακῷ ἰῷ: propterea quod, vt Sophocles in Aloe scribit, κακὸν κακῷ διδοὺς ἄκος, πλέον τίθησι πῆμα

τῆς

τῆς ἄτης: id est, malum malo medicans, malum conduplicat, quando nimirum, vt idem Sophocles ait, ἐπὶ νέοῳ νοσεῖν, &, vt Homerus, ἐφ' ἕλκεϊ ἕλκος ἄρεσται, morbum morbo, & vulnus addit vulneri: fit tamen sæpenumerò, vt malum malo, tanquam clauus clauo, retundi necesse sit. Quemadmodum & medici aliquando, teste Sophocle apud Plutarchum,

πικρὸν χολὴν κλύσειν φαρμάκῳ πικρῷ:

Remedio amaro bilem amaram diluunt.

Et Symmachus in Epistolis: Plerunque (inquit) amara hausta ad salutem valent: & succis tristibus affecta refouentur. Medicina enim aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curat, vt scribit Gregorius in Moralibus: Omnis autem cura, secundum Platonem, eò tendit, vt bono sit ei, qui curatur. Quò fit, vt nulla dura videatur curatio, cuius salutaris videtur effectus: licet nunquam fere sine querela ægra tanguntur, auctore Seneca. Nulla enim remedia, quæ vulneribus adhibentur, tàm faciunt dolorem, quàm quæ sunt salutaria, vt ad Octauianum scribit M. Tullius. Sed &, secundum Publium:

Nunquàm periculum sine periculo vincitur:

Et, vt Hieronymus ad Oceanum scribit MALVS ARBORIS NODO MALVS CVNEVS REQVIRENDVS EST. Quod tunc fit maximè, cùm vis vi, dolus dolo, fraus fraude profligatur atque superatur. Tunc enim *fallacia alia aliam trudit*, vt Comicus dixit: tanquam ἦλος τὸν ἦλον, πάτταλος τὸν πάτταλον, id est, clauus clauum, paxillus paxillum, vt est apud Iulium Pollucem lib. 9. πάτταλοι γὰρ πατάλλεις ἐκκρούοντες, id est, paxilli paxillos excutiunt, vt Synesius scribit ad Olympium: &, vt Lucianus, ἦλῳ φασὶν ἐκκρούεσθαι τὸν ἦλον, τῷ μείζονι τὸν σμικρότερον, clauus

quo-

quod aiunt, clauo pellitur maiore minor. Quemadmodum enim sectores roborum, si quando in ligno sit nodus aliquis durior, in eo securim periclitari nolunt, sed cuneum quempiam durum magis, quam bonum, inserunt: ita improbitas improbitate vincenda est, quæ bonitate flecti non potest. Frustra enim, vt Liuius ait, nouacula cotem discindere parat: *& fragili vitro quærens illidere dentem, Infringet solido*, vt Flaccus canit. Sic igitur supplicium est scelus in scelere, & malum in malo: & omninò, vt in prouerbio est, vindicta Neoptolemea, vbi par pari refertur, & pro malo redditur malum. Malum enim malo aptissimum, auctore Liuio. Quomodo & Deus, iudex iustissimus, improbitatem aliquando improbitate, & calamitatem calamitate vindicat, cùm ad improbos puniendos, tanquam instrumentis quibusdam & flagellis, vtitur improbis tyrannis, quorũ vi & crudelitate orbis terrarum ruit, cùm in nobis peccata non ruunt, teste D. Hieronymo. Quod exemplo Atilæ nouissimum est, qui se flagellum Dei & terrorem hominum appellauit: & se ad id in mundum a Deo immissum iactitauit, vt, tanquam iustæ illius vindex iræ, terras omni malorum genere permisceret, & crudelitatem ac libidinem suam, non nisi sanguine & incendio, terminaret. Sic totius orbis extructa victoriis Roma, vrbs inclyta, & Romani imperii caput, vno hausta est incendio, ac ipsa suis populis & mater facta, & sepulchrum, vt Hieronymus loquitur, a Gothis & Vandalis miserè vexata: quos tamen & ipsos alii postea, tanquam paxilli paxillos, rursus profligarunt. Nam verum est, quod dicitur: *Vltorem vltiscitur vltor.* Sic nimirum prouidentia Dei gubernãtur omnia, & quæ omnia putatur pœna, medicina est, secundum Hieronymum, etiá cùm pessi-

pessimis tyrannis vritur Deus ad nos corrigēdos: non secus ac hyænæ fel, & phocæ coagulum, aut similes aliæ immanissimarum bestiarum partes, aduersus magnos morbos efficax & salutare ægris præbent remedium.

Symbolum XXIV.

FL. ANASTASII DICORI.

MELLITVM VENENVM BLANDA ORATIO.

[Golz. Habet suum venenum blanda oratio.]

Quid nisi MELLITVM *est*, ORATIO BLANDA, VENENVM?

Nam proba cui mens est, & proba lingua, placet.

NVsquàm tuta *fides*, inquit Dido apud Maronem, Et Cato Romanus:

Rara fides hominum, quia multi multa loquuntur:
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Nam, secundum Ouidium:

Candor in hoc æuo res intermortua penè.

Quandoquidem, vt Hesiodus ait:

παῦροι μὲν ἀληθέα κικλήσκουσιν, id est,
——— *pauci vera loquuntur:*

Cum plerique, secundum Comicum,

Paululùm interesse censeant, ex animo omnia,
Vt fert natura, faciant, an de industria.

Sic nimirum, vt Publianum habet Symbolum, HABET SVVM VENENVM BLANDA ORATIO, quæ verè est, vt Plautus dixit, *viscus merus*: aut, vt Plinius, mellitum venenum: aut, vt Diogenes, θανάσιμον μελίκρατον, lethale mulsum: aut denique, vt Hieronymus vult, melle est litus gladius, vel potius laqueus, id est, μελιτίνη ἀγχόνη, vt Diogenes vocat, hoc est, mellea præfocatio, quæ blanditia quidem delectat, sed mendacio strangulat eũ, qui capitur. Quemadmodum & Seneca monet, malum hominẽ blande loquentem, suum cuique laqueum agnoscendum esse. Siquidem insidiosa est omnis blandiloquentia: & vere, vt Irenæus loquitur, lacte gypsum male mixtum. Nam & interdum, secundum Ouidium,

Impia sub dulci melle venena latent.

Quod cum fit, ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος βρείει τὸ γλυκὺ, καὶ τὸ πικρὸν, vt Iacobus Apostolus loquitur: id est, ex eodem ore emanat dulce & amarum, quo vitio nihil fœdius aut turpius esse potest. Itaque recte Æschylus in Prometheo orationem fucatam morbum vocat turpissimum, cum ait: αἰσχιστον εἶναι φημὶ συνθέτους λόγους νόσημα. Et Tacitus blanditias pessimum veri affectus venenum nominat. Quæ quidem *palàm blanditur, & assentatur omnia omnibus: sed mordet clanculum: & si vsquam occasio est, aquam frigidam subdole suffundit*, vt cum Plauto loquar: adeoque ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν ἐξάγει, i. ex vno ore calidũ, & frigidũ exhalat, vt Satyr⁹ rustico obiicit apud Ariaanũ. Quod sane vitiũ si vllo alio, inprimis hoc tẽpore, fa-

re, familiare esse cœpit in mundo, quo simulationis ac perfidiæ plena sunt omnia, atque adeo, vt Poeta vetus dixit,

Multa sub vultu odia, multa sub osculo latent.

Nam, vt Plautinum illud huc accommodem,

Multi more isto atq; exemplo viuunt: quos cùm censeas
Tibi amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide:
Pauci ex multis sunt amici homini, qui certi sient.

Sic nimirum (vt est apud eundem Comicum:)

Altera manu ferunt lapidem, panem ostentant altera:

Vel (vt Nazianzeno placet) altera manu scabunt caput, altera malam feriunt. Cuiusmodi sane genus hominum vehementer execratur Achilles apud Homerum in Iliade:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος, ὁμῶς ἀΐδαο πύλησιν,
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρέσιν, ἄλλο δὲ εἴπῃ:
Odi equidem, ceu claustra Erebi, quicunque loquatur
Ore aliud, tacitoque aliud sub pectore condat.

Et apud Zenodotum:

μισῶ τὸν ἄνδρα τὸν διπλοῦν πεφυκότα
χρηστὸν λόγοισι, πολέμιον δὲ τοῖς τρόποις:
Equidem virum odi duplicem sermonibus
Probis amicum, cæterùm hostem moribus.

Nam, vt Theognis ait:

ὅς γε μίη γλώσσῃ δίχ' ἔχει νόον, οὗτος ἑταῖρος
δεινὸς, καὶ ἐχθρὸς βέλτερος, ἢ φίλος ὤν:
Qui lingua duplicem mentem sic gestat in vna,
Hostis, sed nunquam fidus amicus erit.

Et recte hoc quidem. Nam, vt Augustinus monet, fallax adulatio & crudelis est: vetus in Republ. malum, vt Tacitus scribit, quæ veritati officit plurimũ:

adeoque perpetuum malum regum est adulatio, vt Curtius vult: &, vt Hieronymus, plus nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris. Quoniam, secundum Publium,

Bonitatis verba imitari, maior malitia est.

Et, secundum Martialem,

Quod tegitur, maius creditur esse malum.

Quantò igitur gloriosiùs Hercules de se prædicat apud Euripidem, se non esse virum duplicem aut bilinguem: οὐ διπλοῦς (inquit) πέφυκ' ἀνήρ. Et Capaneus apud eundem Poëtam se habere dicit, ἀψευδὴς ἦτορ, εὐπροσήγορον στόμα, cor sincerum, & os affabile. Et Sophocles in OEdipo:

ἃ μὴ φρονῶ, οὐ καὶ φιλῶ λέγειν μάτην:

Quæ non volo, nec soleo frustra proloqui.

Sic Ennius:

Eo ingenio natus sum, amicitiam
Atque inimicitiam in fronte promptam gero.

Nam, vt Euripides ait in Heraclidis,

ἀψευδὲς εἶναι τοῖς γενναίοις χρὴ στόμα:

Probis probum esse & verax os semper decet.

Et, vt Menander:

ἐλευθέρου μὲν ἀνδρὸς τἀληθῆ λέγειν:

Quæ vera sunt, loqui virum ingenuum decet.

Contra autem, *scelus esse videtur, petenti proloqui mendacium*, secũdum Plautum. Simulatio verò & blanditia in omni vita turpis & vitiosa est: cui coniuncta semper est calumnia, quæ, teste Nonio, mendax & malitiosa infamatio est: quæque nullum cum veritate & candore habet commercium. A' quò sane vitio grauiter Hecuba Agamemnonem dehortatur apud Euripidem his versibus elegantissimis:

Ἀγάμεμνον, ἀνθρώποισιν οὐκ ἐχρῆν ποτέ
τῶν τραγμάτων τὴν γλῶσσαν ἰσχύειν πλέον

ἀλλ'

ἀλλ' εἴτε χρηστ' ἔδρασε, χρηστ' ἔδει λέγειν.
εἴτ' ἂν πονηρὰ, τοὺς λόγους εἶναι σαθροὺς,
ἐς μὴ δύνασθαι τἄδικ' εὖ λέγειν ποτέ:

Agamemnon, neutiquam fas est mortalibus,
Linguam valere plus factis, sed seu proba
Agit, loqui fas est proba; seu rursus mala,
Putida esse dicta fas est semper, nec benè
Iniusta quæ sunt, posse iusta dicere.

Et in Andromacha insectatur grauiter Spartanos ob simulationis vitium atque perfidiæ, quos appellat ἐχθίστους βροτῶν, δόλια βουλεύματα, ψευδῶν ἄνακτας, μηχανορράφους κακῶν, id est, pessimos mortalium, consultores fraudulentos, principes mendaciorum, malorum consarcinatores, &c. Quò etiam referatur Phocylidæ sententia illa:

μήδ' ἕτερον κεύθῃς κραδίῃ νόον, ἀλλ' ἀγορεύων.

Et Menandri hæc:

μισεῖ ἅπας ψεῦδος σοφὸς καὶ χρήσιμος:

Frugi vir & sapiens odit mendacium.

Sic Cato Romanus:

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus:
Tu quoque fac simile, sic ars deluditur arte.

Item:

Sermones blandos blæsosque cauere memento:
Simplicitas veri sana est, fraus ficta loquendi.

Symbolum XXV.
FL. ANICII IVSTINI.

QVOD
PVDET,
HOC
PIGEAT.

[Golz. Cuius pudet, pigeat.]

QVOD PVDET, HOC PIGEAT *facere vnumquemque: pudoris*
Princeps qui fines, transilit, ille malus.

PRæclara est sententia illa Stasimi in Eutyphone Platonis: ἵνα μὲ δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς, *In quo metus, & pudor illo est.* Fit enim, vt in quo metus sit turpitudinis, in eo sit pudor honestatis: & contra, in quo pudor, in eo sit metus. Quicunque enim pudore afficitur & verecundia; is semper extimescit improbitatis opinionem. Quid enim aliud est verecundia, quàm metus turpitudinis, & amor laudis? quorum ille à vitio reuocat: hic verò ad honestatem impellit: vnde recte à Tullio nominatur custos virtutis, laudem maxime sequens, & fugiens dedecus. Hinc Dioge-

nes con-

nes conſpicatus adoleſcentem erubeſcentem: Bono (inquit) animo eſto: hic enim color virtutis eſt, & vas boni ingenii. Nam is verecundus eſt, qui vt audiat bene, erubeſcit: & quem pudet ea, quæ impudica ſunt, & loqui, & facere. Qui verò nec erubeſcere, nec extimeſcere ſolet: eum, quia ſemel pudoris fines tranſiit, nauiter oportet eſſe impudentem, ſecundũ Diphilum & Ciceronem. Itaque vt verecundus ſit & probus, inprimis neceſſe eſt animum ab omni turpitudine abhorrere, præſertim natura magiſtra & duce, quæ docet, vt omne illud, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, ſtudioſe fugiamus: & vt ſtatus, inceſſus, ſeſſio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus, omnis denique geſtus corporis & habitus teneant illud decorũ: ne quid effœminatum aut molle, & ne quid durum aut ruſticum, multoque minus deforme aut turpe ſit, vt præclare docet M. Cicero in Officiis. Sed nulla eſt melior virtutis huius conſeruandæ ratio, quam ſi quis ſeipſum maxime vereatur, vt quod apud alios pudeat facere, ne ſolus quidem auſit facere: tanquam ſeipſo inſpectore ac teſte. Quod Thales ille Mileſius præcipit apud Auſonium:

Turpe quid auſurus te ſine teſte time.

Et Philolaus:

πάντων τὸ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν?

Et Seneca: Si honeſta ſunt, quæ facis, omnes ſciant: ſin verò turpia, quid refert, neminem ſcire, cùm tu ſcias: ἂν γὰρ τὰς ἄλλους λάθῃς σαυτῷ γε συνειδήσεις, ſecundum Iſocratem. Nam vt maxime quis ſolus ſit, cum turpe aliquid agit aut facit, minime tamen ſolus eſt: neque vlla impunitatis aut celandi ſpes reliqua eſt: quæ alias, vt Cicero ait, maxima eſt peccandi illecebra. Nam & Deus videt, & angelus aſtat, & diabo-

lus accusat, & mors minatur, & inferi cruciant: denique, vt hæc omnia tollas, conscientia mordet, quæ pluris est, quam mille testes: Quæ si mala est, etiam in solitudine anxia & solicita est: Sicut è diuerso bona conscientia turbam aduocat. Quò fit, vt, secundum Publium,

Ille nocens se damnet, quo peccat, die:

Siquidem, vt Iuuenalis ait,

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori: Prima est hæc vltio, quòd se
Iudice nemo nocens absoluitur: improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Nam, vt Lucretius scribit,

— Mens sibi conscia facti
Præmetuens, adhibet stimulos, torretq; flagellis:
Nec videt interea qui terminus esse malorum
Possit, nec quæ sit pœnarum denique finis:
Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.

Et, vt Iuuenalis:

Ne tamen hos tu
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos: & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum:
Pœna autem vehemens, ac multò sæuior illis,
Quas aut Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Sic & Seneca in Hippolyto:

credis hoc posse effici,
Inter videntes omnia, vt lateas?
Quid pœna præsens, conscia mentis pauor,
Animusque culpa plenus, & semet timens?
Scelus aliquis tutum, nulla securum tulit.

Nam

Nam verum est, quod Sallustius dixit, suum cuique animum ex conscientia spem præbere aut metum. Quippe pudor & conscientia, vt ille loquitur, potentissima sunt certissimaque facinorosorum hominum flagella. Hinc Poëtæ finxerunt, eos, qui aliquid impie sceleratèque commiserint, semper agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus: quę, vt Sophocles ait, *semper sunt virgines*: id est, perpetuo cruciant, nec vnquam quiescunt, nec vsquam consistere patiuntur. Sua nimirum, vt Cicero docet, quemque fraus, & suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit, suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent, hæ sunt impiis assiduæ, domesticæque furiæ, quæ dies noctesque pœnas à cõsceleratis hominibus repetunt. Quo fit, vt *nihil sit miserius, quam animus hominis conscius*, secundum Plautum, qui vere est, vt Publius vult,

Grauior inimicus, qui latet sub pectore.

Quò accedit illud, quod *difficile* sit, vt Naso ait, *crimen non prodere vultu.* Plerunque enim, secundum Senecam, conscientia eminet in vultu. Siquidem, vt Satyricus canit,

——— rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus: tacita sudant præcordia culpa:

Et, vt Seneca:

—— Quisquis in culpa fuit,
Demissus omne odit, quod dubium putat.
Semper enim timidum scelus est: & plurima versat
Pessimus in dubiis augur timor:

vt est apud Statium. Sed & sæpenumero, quæ clàm & latenter maxime acta sunt, mirabiliter patefiunt: si non statim, at tùm, cum minime quis opinatur. Nam, vt Sophocles canit,

ἅπαντ' ὁρῶν, καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος, id est, omnia videns, & omnia audiens, omnia reuelat & quasi exspuit tempus: &, vt Menander,

ἄγει φοὼς ἢ τὴν ἀλήθειαν χρόνος:

Sic veritatem tempus in lucem extrahit.

Ex quo Thales, Temporis filiam esse, dixit veritatem: Pindarus verò, Iouis. Atqui, vt Homerus ait,

ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Cernit Deus omnia vindex.

Sic & Christus, qui est ipsa veritas, negat quicquam esse occultum, quod non sit patefaciendum, qui & malefacta punit, & recte facta remuneratur: sæpe mirabiliter atque occulte, interdum etiam aperte & manifeste: semper autem ita, vt eius æquitas postulat: viuorum pariter ac mortuorum iudex iustissimus. Itaque nihil præstabilius est, quam ita vitam instituere, vt siue solus sis, siue cum aliis, nihil quicquam in te admittas, cuius te vel pudeat, vel pœniteat. Neque enim iniuste quicquam aut libidinose aut incontinenter à quoquam faciendũ est, etiamsi Deum atque homines se id celare posse putet, quod Socrates de se dicere solitus fuit. Quò fiet, vt male facere, aut indecore se gerere ne velit quidẽ homo, si possit, nec possit, si velit: eodemque pacto & bonam conscientiam ad Deum afferat, & bonam famam apud homines mereatur, qui iustitiæ quidam fructus est, hominemque tranquillum & securum reddit: vt nec Deum, nec homines pertimescat. Securitatis enim, vt Seneca scribit, magna portio est, nihil inique facere. Recte etiam Clemens Pædag. lib. 3. οὕτω τις ἂν ἀπτῶς διαμείνῃ, εἰ πάντοτε, ἑαυτῷ παρεῖναι νομίζοι τὸν θεόν: Ita non facile peccabit homo, si Deum semper præsentem sibi esse putet, Contrahitur quidem animus noster vtilitatis specie: sed vbi certum est vi-

est vitium rei adiunctum, quæ speciem vtilitatis adfert, continuo arripiendum honestum: secernenda abiiciendaque est vtilitas: atque ita existimandum, conscientiam mentis nostræ, quam à Deo accepimus, à nobis diuelli non debere: hancque vnam testem optimorum nobis consiliorum viuis fatoque defunctis futuram. Sic nimirum moderator cupiditatis est pudor, & domitor vitiorum, & custos virtutis maximus: quem qui è vita tollit. maximum vitæ ornamentum tollit. Vnde recte pudor à Chrysostomo frenum vitiorum nominatur: & à Bernardo soror continentiæ appellatur verecundia. Nam vbi studium verecundiæ est, cupiditas rationi seruit, secundum Valerium. Sic Plato: Metus & pudor custodes honestatis sunt sufficientes. Cum quo cõgruit Symbolum istud: QVICQVID PVDET FACERE, HOC ET PIGEAT FACERE. Cui affine est Hieronymi illud: Quicquid pudet dicere, pudeat & cogitare. Et Isocratis hoc ad Demonicum: ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν: Quæ factu sunt turpia, ne dictu quidem decora esse puta. Quod præceptum, vt Symbolo magis conueniat, inuerti potest ad hunc modum: ἃ λέγειν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ ποιεῖν εἶναι καλόν: Quæ dictu sunt turpia, ea ne factu quidem honesta esse putato. Quo etiam pertinet eiusdem sententia in oratione ad Nicoclem: μελέτα περὶ καλῶν ἐπιτηδευμάτων λέγειν: ἵνα συνεθισθῇς ὅμοια τοῖς εἰρημένοις λέγειν: ἃ δ' ἂν σοι λογιζομένῳ φαίνηται βέλτιστα, ταῦτα τοῖς ἔργοις ἐπιτέλει: Loqui de præclaris actionibus stude: vt, quæ loqueris, sentias, & quæ sentis optima, re ipsa perficias. Male enim, & sero nimis, secundum Ouidium,

Quæ fecisse iuuat, facta referre pudet.

Nam, secundum Senecam in OEdipo,

Vbi

Vbi turpis est medicina, sanari piget.

Porrò verum est Theodectis illud apud Stobæum: omnes res humanas natura consenescere, & quasi ad exitum properare: sola impudentia excepta, quæ eò maior fit quotidie, quò magis genus augetur mortalium. Græci versus hi sunt:

ἅπαντ' ἐν ἀνθρώποισι γηράσκειν ἔφυ:
ἐς πρὸς τελευτὴν ἔρχεται τὴν τοῦ χρόνου
πλὴν, ὡς ἔοικε, τῆς ἀναιδείας μόνον.
αὕτη δ' ὅσῳ περ αὔξεται θνητῶν γένος,
τοσῷδε μεῖζον γίγνεται καθ' ἡμέραν.

Symbolum XXVI.

FL. ANICII IVSTINIANI.

SVMMVM IVS,
SVMMA
INIVRIA.

[Golz. A' bonis bona bene.]

Summum ius, crux summa, vel est iniuria summa: IVSTVM IVS IVSTVS *semper & æquus* AMAT.

CVm de iure disceptatur, priùs de iustitia agendum est, quæ iuris quædam est (vt ait Cicero) executio

executio. Nam ius ex præceptis & exemplis iustitiæ compositum est: vnde meritò Vlpianus iuris nomen à iustitia descendere affirmat. Quandoquidem id demum ius dicitur, quod est iustum, & coniunctum cum iustitia, id est, æquitate. Nam & ius quoddam iniustum ab Ouidio appellatur: & quod in armis ius est, vis potius, quam ius, nominari debet. Quippè nihil est tàm inimicum iuri, quam vis, quæ cum iniuria coniuncta est, & æquitati semper contraria atque infesta. Ex quo recte Celsus Ius definit artem æqui & boni. Ars enim plus est, quam scientia, & æquum ac bonum plus habet aliquid, quam illud, quod ius simpliciter appellatur. Sic nimirum Iurisprudentia cum iuris scientia, vt ea recte vtatur æquitatis rationem coniungit: & illam efficit artem, quæ non erret in suo cuique tribuendo. Itaque Paulus Iurisconsultus alicubi laudat Celsum adolescentem, qui, cum esset quæstio de æquo & bono, responderit, plerunque sub auctoritate iuris scientiæ perniciosè errari. Et M. Tullius Cicero in Philip. 9. commendat Ser. Sulpitium, quod non magis Iurisconsultus esset, quam iustitiæ, id est, æquitatis, cùm nimirum ea, quæ proficiscuntur à iure ciuili, semper ad æquitatem referre soleret. Idem pro Cæcinna laudat C. Aquilium, quod iuris ciuilis ratione nunquam ab æquitate seiunxerit. Nam, vt Paulus Iurisconsultus scribit, in omnibus quidem, maximè tamen in iure æquitas spectanda est. Et, Constantinus Imperator rescripsit, in omnibus reb. præcipuam iustitiæ, quàm scripti iuris, rationem habere placet. Etenim sæpenumero existunt iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida, sed malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud, SVMMVM IVS, SVMMA INIVRIA, factum est iam tritum sermone prouerbium,

tefte

teste Cicerone in Officiis. Quod Syrus ille Terentianus hoc modo extulit:

Verum illud dicunt, Ius summum,
Sæpe summa malitia est.

Et Columella lib. 1. de re rustica: Nec sane (inquit) nobis vindicandum est, quicquid licet (nã summum ius antiqui summam putabãt crucem) nec rursus in totum remittendum: quoniam vel optima nomina, non appellando fieri mala, fœnerator Alphius verissime dixisse fertur. Qua voce illud significatur, tùm maxime à iustitia discedi, cùm de iure seuere & acerbe contenditur: adeoque nulla habetur ratio æquitatis, quam Aristoteles vocat ἐπιείκειαν, eamque ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου definit, hoc est, iuris correctionẽ, & benigniorem eius atque humaniorem interpretationem, de qua etiam Cato præcipit.

Iudicis auxilium sub iniqua lege rogato:
Ipsæ etiam leges cupiunt, vt iure regantur.

Nam cum nulla lex ita scribi possit, vt omnia, quæ quandoque inciderint, complectatur, quod equidem non ex legis aut legislatoris vitio, sed ex ipsius rei natura contingit, teste Aristotele: idcircò necessaria est ars, quæ nos doceat, quo pacto hoc quasi vitium emendari queat. Neque enim cuiusuis hoc est hominis, sed artificis tantum periti, id est, Iurisconsulti, qui non tàm leges & verba legum, quàm earum vim ac potestatem cognitam habet, vt quamcunque legem hoc modo ex bono & æquo recte interpretari possit. Etenim scriptum sequi, calumniatoris est: boni verò iudicis, auctoritatem, voluntatemque defendere. Quæ enim lex, quod Senatusconsultum, quod magistratus edictum, non infirmari aut conuelli potest, si ad verba deflectere voluerimus: consilium autem eorum, qui scripserunt, & auctoritatem, & rationem

tionem relinquamus? Non enim ex verbis pendet ius, sed verba seruiunt hominum consiliis & auctoritatibus: nec verba veniunt in iudicium, sed ea res, cuius causa verba in leges coniecta sunt: vt præclare docet M. Tullius Cicero pro A. Cæcinna. Quamobrem ad iustitiæ munus vel maxime hoc pertinet, vt leges & pacta atque cõuenta hominum candide sincereque interpretemur: & omnem ingenii calumniã atque malitiam fugiamus, cum in iure præcipue fit spectanda æquitas, & legibus maxime amica sit simplicitas, vt Iurisconsulti tradunt.

Notum est enim Menandri illud:

καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσὶν: ἀλλ' ὁρᾶν τοὺς νόμους
λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται:
Magnum bonum sunt leges: sed si quis nimis
Has intuetur acutè, sycophanta fit.

Itaque leges seuere quidem statuere oportet, sed benigne eas tamen, maxime in puniendo, interpretari, vt Græcus ille monet vir sapiens. Quod & sacræ literæ præcipiunt: NOLI NIMIVM ESSE IVSTVS, id est, ἀκριβοδίκαιος, vt Græci vocant. Nam iustitia nimia, vt Augustinus loquitur, incurrit peccatum: temperata vero iustitia facit perfectionem. Sic & Euripides monet in Oreste, *Summo iure moderatè vtendum esse.* Et Plutarchus in libro de curiositate, ad iustitiam exercendam vtile esse aliquando dicit etiam hoc, quod iustum est, prætermittere. Et alio in loco: Qui (inquit) magnis in rebus iustitiæ cultorem se exhibere vult: eum profectò ius interdum in paruis violare oportet. Plane enim vera & humana est illa vox Mitionis apud Comicum: Non habeo necesse omnia pro iure æstimare. Sic Augustinus in homil. 10. narrat, apud Pœnos vetus fuisse proverbium: vt habeas quietum tempus, perde aliquid.

Rarò

Rarò carent lite, qui nunquam sustinent de suo iure concedere. Magnum interdum lucrum est, iactura rei molestiam & inquietudinem excludisse. Cuius rei illustre exemplum proponit Plinius lib. 8. c. 50. Solertiam (inquit) caprarum Mutianus visam sibi prodidit, in ponte prætenui duabus obuiis è diuerso: cum circumactum angustiæ non caperent: nec recipprocationem longitudo, in exilitate cæca, torrente rapido minaciter subter fluente: alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatæ supergressam. Cæterùm quam iustus & æquus fuerit Iustinianus Imperator, non solùm in imperio gerendo, sed etiam in iure dicendo, eodemque recte constituendo: res ipsa loquitur, qui ex priscis legibus populi Romani, & veterum Iurisconsultorum responsis ac commentariis, eam, quam nunc habemus, Iurisprudentiæ artem at disciplinam, quasi certis quibusdam finibus circumscriptam constituit: & primò constitutiones Principum, deinde Pandectas, postremo Institutiones in meliorem formam redegit, in quas ea tantum, quæ vsitata, non etiam quæ abrogata aut obsoleta erant & ab vsu remota, referri voluit: in his verò plurima ad æquitatem, tanquam ad regulam Lesbiam comparata correxit atque emendauit. Sed & religionem Christianam idem Imperator pie sancteque coluit. Siquidem erraticum opinionem quibus tunc Ecclesia Christiana tanquam tempestatibus quibusdã agitabatur, acerrimum se vindicem præbuit: & Concilii Niceni auctoritatem integerrime constantissimeque defendit, Porphyrii & Eutychetis Nestorii, impias & sceleratis opinionibus repudiatis: vndein nummis suis aureis imaginem Christi cũ cruce excudit, cum hac inscriptione & veluti Symbolo: Iesvs CHRISTVS REX REGNANTIVM. Quod & Constan-

Constantium Magnum ante eum feciſſe conſtat, qui Paulino illo Symbolo delectatus fuiſſe ſcribitur: ABSIT MIHI GLORIARI, NISI IN CRVCE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Symbolum XXVII.
FL. IVSTINI IVNIORIS.



[Golz. Non beatus, qui ſe beatum neſcit. Item: Memineris ſemper, qui fueris antea.]

Non bene LIBERTAS *nummis, virtute paratur*
Sed melius, PRECIO *quouis* PRECIOSIOR *illa.*

OMnes profectò liberi libentius *Sumus, quam ſeruimus*: inquit Plautus in Captiuis. Et Cæſar lib. 2. de bello Gallico: Omnes homines natura libertati ſtudent: & conditionem ſeruitutis oderunt. Nam ad decus & libertatem nati ſumus, teſte Tullio: adeoque, ſecundum Auguſtinum, naturalis eſt hominis libertas, id eſt, cum natura orta aut

ta aut certè cognita, quæ omnes homines liberos & æquales produxit, auctore Gregorio: imò natura etiam mutis animalibus data, vt vult Tacitus. Quò fit, vt nulla voluptas ingenuis viris suauior sit, ipsa libertate: quæ & ipsa, vt placet Liuio, satis habet dulcedinis: & cuius desiderium omnibus innatum est: adeoque omnium humanorum bonorum libertas maximum putatur, teste Dionysio Halycarnassæo: quæ non modò ære quouis pretiosior, & vt Flaccus canit, *potior metallis*, sed & vita ipsa charior est hominibus sapientibus, quæque magno recte emitur, nec sine negotio seruatur. Contra autem omnis seruitus est misera: præsertim in libertate educatis, quæ quouis malo ac damno intolerabilior, & qua omnis calamitas atque adeò mors ipsa potior est. Recte enim Mimus:

Acerba est omnis homini ingenuo seruitus.

Et Seneca in Troade:

Si pœna petitur, quæ peti grauior potest?
Famulare collo nobili subeat iugum.

Maximè vero turpe & indecorum semper habitum fuit populum Romanum, cuius vicem gerit Imperator, seruire barbaris, quem dii immortales, vt Cicero loquitur, omnibus gentibus imperare voluerunt: perinde vt & Græcos seruire barbaris ignominiosum fuit. Sic enim Euripides scribit in Iphig. Aulid.

βαρβάρων Ἕλλωσι εἰκὸς ἄρχειν, ἀλλ' ὦ βαρβάρους
οὔθεις Ἑλλήνων. τὸ μὲν γὰρ δοῦλον· οἱ δ' ἐλεύθεροι·

Fas imperare Græcos sanè Barbaris,
Non Barbaros Græcis: seruile, barbarum:
Sed liberum Græcorum semper est genus.

Quod cùm rectè hoc modo intelligeret Fl. Iustinus II. Imperator, amans & studiosus libertatis, NEFAS, ac turpe

ac turpe esse dixit, ROMANOS PERSIS VECTIGALES ESSE, quibus annuas quingentas libras penderent. Itaque non solùm aurum illud retinuit; sed fœdere inito cum Aretha, Æthiopum rege, Persis bellum intulit, & victoria potitus est. Sic verum est, quod Claudianus dixit:

——— *Nunquàm libertas gratior exstat,*
Quàm sub rege pio.

LIBERTAS enim RES INAESTIMABILIS est, secundum Paulum Iurisconsultum: non solùm quia magna quædam res est, & difficilis ad iudicandum, quis libertate dignus sit, eamque ob causam non temere concedenda, quoniam interest Reipublicæ, nullos nisi probos & honestæ vitæ homines liberos fieri: verùm etiam, quia precio inæstimabilis, & vt Theophilus interpretatur, ἀδιατίμητος, id est, nullo precio nummario æstimãda est. Cùm, secundum Iurisconsultum, liber homo non recipiat æstimationem, cui semper ingratum est precium seruitutis, vt Q. Curtius scribit lib. 6. cõtra quam seruus ille apud Euripidem in Andromeda sentit:

χρυσὸν μάλιστα βούλομ' ἐν δόμοις ἔχειν.
καὶ δοῦλος ὢν γὰρ τίμιος πλουτῶν ἀνὴρ:
ἐλεύθερος δ' ἢ χρεῖος ὤν, οὐδὲν σθένει:
χρυσοῦ νόμιζει σαυτὸν οὕνεκ' εὐτυχεῖν:
Quid possidere malim ego, nisi aurum domi?
Nam seruus in precio est, si diues sit, magis
Quàm liber homo indigens, qui nil vsquam valet:
Fœlicitas in auro sic omnis sita est.

Melius igitur Seneca in Epist. 76 Inæstimabile (inquit) bonum est, suum fieri. Et Epist. 105. Non potest paruo constare libertas, quam si magno æstimas, omnia paruo æstimanda sunt.

τοὐλεύθερον γὰρ ὄνομα παντὸς ἄξιον:

Nam liberum esse, maximum dico bonum:
vt Euripides in Auge. dixit. Et, vt Diogenes apud Laërtium, quod optimum est inter homines, libertas est. Sic Xenophon: Liberum esse, equidem cunctis rebus anteferendũ arbitror. Et Plutarchus in Agesilao: Sine libertate nihil bonum est, nihil expetendum hominibus. Quomodo & Thucydides lib. 2. libertatem beatitudiuem esse, nec sine fortitudine eam retinere, eiusque nomine pericula bellica defugere non oportere scribit. Libertas enim nomen virtutis est, seruitus autem malitiæ, vt Epicurus ait apud Stobæum. Nam, secundum Euripidem,

οὐδὲν τὸ δοῦλον πρὸς τὸ μὴ δοῦλον ἥδιον:

Nihil genus seruile est ergà liberum.

Ex quo recte Iurisconsulti hominis liberi statum, caput nominant, quod quidem tria hæc complectitur, libertatem, ciuitatem, familiam: quæ hominib. natura, non minus, quam caput & vita, sunt chara: pro quibus viri fortes non minus strenuè dimicare solent, quam de vita & spiritu. Nam &, secundum Sallustium, libertatem nemo bonus, nisi cum anima simul amittit. Porro aliud Iustini Cæsaris Symbolum à quibusdam recensetur, qui dixerit, MALE' OMINANTI SEMPER MALE' ESSE. De quo hoc est Epigramma nostrum:

Qui bene coniiciet, bene res huic cedit: at omen
Si male sit, res tunc cedit & ipsa male.

Et notum est Euripideum illud:

μάντις ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς.
Bene qui coniiciet, vatem hunc perhibeto optimum.

Symbo-

Symbolum XXIIX.
TIBERII CONSTANTINI.



[Golz. Virtutem præ omnibus colito.]

Quod pauperi donas lubens, donas Deo:
STIPS PAVPERVM, THESAVRVS *magnus* DIVITVM *est.*

TIberium Constantinum Imperatorem, & pace, & bello præstantissimum fuisse perhibent: inprimis vero amantissimum iustitiæ, & liberalissimũ erga pauperes: tùm vero erga omnes humanissimum atque beneficentissimum. Is cum multa quotidie pauperibus erogaret, nec pauciora largiretur viris literatis & doctis, obiurgatus à Sophia Augusta, quod fiscum imperialem nimio erga pauperes ac literatos studio, nimiaque liberalitate exhauriret atque dissiparet: Atqui (inquit) nunquam defutura est fisco pecunia, quandiu vel pauperes stipem accepturi, vel sapientes homines Reipublicæ præfuturi sunt. MA-

GNVS siquidem THESAVRVS est STIPS PAVPERVM, quem qui in cœlo sibi cumulat, ei auget hunc Dominus in seculo: sicut ipse præcipit, thesauros comparare in cœlo, quos nec ærugo, nec tinea corrumpit, & quos neque fures auferunt, neque latrones eripiunt. Præclara sane vox, & magnifica, & Imperatore digna. Qui enim dat pauperi, dat Deo, secundum Augustinum, Deo autem nihil frustrà datur, qui liberalissimus est remunerator eorum, quæ sibi & suis dari solent. Quo fit, vt eleemosyna hæc siue gratia verè sit, vt Chrysostomus ait, ars omnium quæstuosissima. Quandoquidem fœcundus est ager pauperum, qui citò reddit fructum donantibus, vt quicquid hoc modo damus pauperibus: hoc ipsum semper integre possidcamus, vt Augustini verbis vtar. Contra autem qui parce seminat, parce & metet, teste Apostolo. Melius ergò est facere eleemosynam, quàm thesauros auri condere, vt monet Tobias c. 12. Quod suo exemplo comprobauit Tiberi⁹ Cæsar: cui Deus Opt. Max. liberalitatem hanc erga pauperes liberalitate multò maiore compensauit. Nam cum die quodam in palatio deambularet: forte marmoream conspiciens tabulam in pauimento, cruce sancta insignitam, cum indignè ferret eam calcari pedibus: leuari eam humo iussit: quo facto, magnum sub ea thesaurum inuenit auri atque argenti, quem more suo postea liberaliter erogauit pauperibus. Neque ita multo pòst etiam Narsetis thesaurum ingentem reperit, quo non parum locupletatus est. Cumque Persas fœliciter superasset prælio: Mesopotamia recepta atque subiugata: captiuos omnes secum Constantinopolim adductos, sponte demum vestitos remisit in patriam. Princeps sane optimus & maximus, & cùm iustitiæ, tum liberalitatis laude clarissimus,

elatissimus, quarum illa Deum, hæc homines conciliat: veraque immortalitatis curru principem in cœlum subuehit. Sic nimirum verum est, quod Gregorius dixit: non esse donum, quod pauperi datur, sed mutuum, vel potiùs fœnus: quo id, quod datur, semper multiplicato fructu recipitur. Et idem alibi: Dum (inquit) quælibet necessaria indigentibus damus, sua illis reddimus, non nostra largimur. Hinc pulchrè Augustinus: Si vis (inquit) mercator esse, aut fœnerator optimus: da, quod nõ potes retinere, vt recipias, quod non poteris amittere: da modicum, vt recipias centuplum: da temporariam possessionẽ, vt consequaris hæreditatem æternam. Et alibi: Sic existima Christum tibi dicere: Da mihi ex eo, quod tibi dedi: de meo quæro, non de tuo: da, & redde: habuisti me largitorem: fac me debitorem: habeam ego te fœneratorem: temporalia mihi das, æterna tibi restituam: teipsum tibi reddam: quando te mihi reddidero. Sic Chrysostomus: Meliùs seruatur pecunia, quæ in dextra pauperis collocatur: quippè quam calumniator non extorquet: inuidus non criminatur, latro non aufert, fur nocturnus non eripit: seruus fugitiuus non inuadit, sed quæ semper est tuta, semper integra, semper salua. Item: Qui collocat thesauros in terra, non habet, quod speret in cœlo. Cur enim suspiciat in cœlum, vbi nihil habet repositum? Quicquid pro anima tua feceris, hoc tuum est, quicquid reliqueris, hoc perditum est. Quæ igitur stultitia est, illic relinquere, vnde exiturus es: & illuc non præmittere, quo iturus es? Illic ergo substantiam tuam colloca, vbi patriam habes. Et Leo Papa: Da, quod accipias: sere, quod metas: sparge, quod colligas: quamuis non habeas, nisi quod acceperis, non potes tamen non habere, quod dederis.

Et Petrus Rauennas: Quicquid pauperi dederis, tu habebis: quicquid non dederis, habebit alter. Cæterum pauperum nomine etiam veniunt Scholæ & alia pia loca, in quib. vita hominum & ad obediendum Deo, & ad parendum magistratui informatur, vt ait Iustinianus Imperator: quorum curam præcipuam semper habuerunt summi reges ac principes, cum intelligerent, hæc principia & veluti seminaria quædam esse religionis, & virtutis omnisque disciplinæ honestæ, & Reipublicæ armamentaria, in quibus armantur homines contra barbariem, non solùm artibus & doctrinis, sed & morib. institutisque bonis: tùm etiam præmiis ac honoribus. Qualis erga literas & literatos viros fuit idem Tiberius Imperator, qui nullam in rem melius se collocare posse existimauit patrimonium suum, quàm si viris hoc sapientibus & doctis elargiretur, quorum vsus non solum in templis & scholis esset, sed & in cancellis consiliorum, & ciuitatibus, & legationibus, adeoque in omni vitæ humanæ societate & communitate. Sic & Leo Imperator reprehensus aliquando ab aulicis, & purpuratis suis, ob Eulogium quendam, hominem pium atque eruditum, ad ludum in vrbe aperiendum stipendio liberali à se euocatum, quod nimirum in malitiam potius, quàm scholam, sumptus eiusmodi conferri oporteret: non sine indignatione respondisse fertur: Nullam se à Deo Opt. Max. maiorem fœlicitatē optare, quàm vt omnes militiæ sumptus in scholas literarum & collegia hominum literatorum sibi collocare liceret. Neque verò ab hoc alienum est Alexandri Magni illud exemplū, qui olim à Leonida Quæstore ob nimiam in res sacras & liberales artes profusionem libere admonitus: Si (inquit) fœlix esse diu cupis, ne sis in Deum

& res

& res diuinas parcus atque sordidus, quæ profectò si non crescunt, omnia alia decrescunt.

Symbolum XXIX.

FL. TIBERII MAVRICII.

QVOD
TIMIDVM,
IDEM
CRVDELE.

[Golz. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.]

QVOD TIMIDVM, *sit idem simul hoc* CRVDELE: *tyrannus*
Sic alios semper, seque suosque timet.

IVSTVS ES Ô DOMINE: ET TVA SVNT IVSTISSIMA *semper*
IVDICIA: *ô Iudex sis* DEVS *ipse mihi.*

VEtus dictum est: πᾶς δειλὸς φονικός: QVICQVID TIMIDVM EST, CRVDELE EST. Quod sane dictum auctoritate sua confirmauit Mauricius Imperator, qui cum æger animi somniaret aliquando se

do se iugulandum tradi militi suo Focæ: Philippicum interrogauit, qualis sit Focas: eoque respondẽte, centurionem ambitiosum esse, sed timidum: Si igitur (inquit) timidus est, homicida est: vel, vt Zonaras ait, εἰ δειλὸς, καὶ φονεὺς. Nec sane fefellit eum opinio. Neque enim ita multo post, facta conspiratione in eum militum, quod captiuos ab hoste redimere recusasset, à Foca tyranno, qui in imperio successit, vna cum tota prosapia sua, crudeliter fuit trucidatus cùm is primùm in cõspectu eius filios duos, deinde filias tres, postea Constantinam vxorem necari iussisset, tum ille: IVSTVS ES, inquit, DOMINE: [*Tob.* 2.] ET RECTA SVNT IVDICIA TVA. [*Psal.* 118.] Fortiter nimirum ferens calamitatem, & libenter in iudicio diuino acquiescens, cum non ita pridem iniuriam captiuorum reputãs, DEVM orasset: vt in hac vita potius, quàm in futura, de se pœnas sumeret. Quod Eberhardum primum Ducem Wirtembergicum, principem sanctissimum & religiosissimum, in morbo etiam à DEO comprecatum fuisse legimus, vt si vnquam graue alicui fuisset & molestum ex subditis imperium suum, supplicium hic lueret in corpore: ac deinde parceretur animæ. Sed ad prius Symbolum reuertor, quod ita verum esse communis testatur experientia. Quò enim magis quisque est timidus natura: eò magis vindictæ cupidus est, & postquam scelus init semel, parcere nescit, & sæuius agit, vt Pomponius Lætus scribit. Nam & fœminas omnes minus animosas esse constat, quam viros, teste Aristotele: quæ nihilominus tamen natura sæuiores, & ad vltionem multo sunt proniores. Siquidem *vindicta*, vt Iuuenalis canit, *nemo magis gaudet, quàm fœmina*, quæ si mala est, vere est, secundum Euripidem, πάντων ἀγριώτατον κακὸν, id est,

est, *omnium efferatissimum malum*. Nam, vt idem scribit Euripides in Medea,

γυνὴ μὲν ἐστι τἄλλα τοῦ φόβου πλέα:
κακὴ δ' ἐς ἀλκὴν, καὶ σίδηρον εἰσορᾷν.
ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα:
Sit plena quamuis mulier alioqui metus,
Infirma, ferrum contueri haud sustinens,
At in torum si quispiam peccauerit,
Nullum cruoris pectus est sitientius.

Tunc enim, vt Seneca scribit in Hercule OEteo,

Scylla & Charybdis, Sicula contorquens freta,
Minùs est timenda: nulla non melior fera est,
Adeò cruentus stimulat fœminam dolor,
Cùm patuit vna pellici & nuptæ domus.

Et notum est Menandri illud:

ἴσον λεαίνης, καὶ γυναικὸς ὠμότης:
Eadem mulieris, quæ leæ, crudelitas,

Cæterùm tyrannicæ formidinis exemplum est Alexander Pheræus, qui sæuus quidem & crudelis, sed meticulosus fuit ac timidus, vt ne coniugi quidem suæ se tutò crederet, dignus profectò eo cruciatu, quo vixit, qui omnia sibi infesta putaret: quia omnibus esset infensissimus. Sic Dionysius tyrannus metu anxius, & nemini se credens familiarium suorum aut propinquorum: tondere filias suas docuit, ne tonsori collum committeret, à quibus tamen is, cùm iam essent adultæ, ferrum remouit, instituitque, vt candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent. Sic Autemon, vt Heraclides Ponticus refert, adeò timidus fuit, vt domi plurimũ viueret: seruis duobus scutum æreum supra caput semper tenentibus, ne quid supernè caderet, aut ne cœlum rueret. Nimirum hæc est vita tyrannorum,

in qua

in qua nulla fides, nulla charitas, nulla ſtabilis benuolentiæ poteſt eſſe fiducia: omnia ſemper ſuſpecta atque ſolicita: nullus locus eſt amicitiæ, vt M. Cicero docet in Lælio. Neque enim tyranni fidem cuiquam habent: neque à quoquam ipſis habetur fides: nec diligunt, nec diliguntur: Quis enim aut eum diligat, quem metuit: aut eum, à quo ſe metui putet? Metus enim parit odium, cui maxime repugnat amor. Nam, vt Ennius ait:

Quem metuunt, oderunt:
Quem odit quiſque periſſe expetit.

Quod & Seneca teſtatur in Agamemnone:

Quem quiſque metuit, odit, ac perire vult.

Et Naſo:

Quem metuit, quiſque periſſe cupit.

Sic Cyrus apud Xenophontem: Qui (inquit) à multis timetur: is multos ſibi faciat inimicos neceſſe eſt. Et Publius:

Multos timere debet, quem multi timent.

Sed &, vt Seneca in OEdipo ſcribit,

Quæritur peremptum nemo, quem incolumem timet.

Quò fit, vt vita hæc tyrannorum (qui animam habent, vt Plutarchus ait, conflatam ἐξ ἀσελγείας & ἀμότητος, id eſt, ex libidine, & crudelitate) ſit omnium miſerrima: quam pulchre ſuis quaſi coloribus deſcribit Iſocrates in Encomio Helenæ, & oratione Philippica, vt & Xenophon in Hierone: Extat & crudelitatis tyrannicæ elegans deſcriptio apud Valer. Maximum lib. 9. Crudelitatis (inquit) horridus eſt habitus: truculenta facies: violenti ſpiritus: vox terribilis: ora minis & cruentis imperiis referta: cui ſilentium donare, incrementum eſt adiicere. Etenim quem modum ſibi ipſa ſtatuet, ſi ne ſuggillationis quidem frenis fuerit reuocata? Ad ſummam, cùm

penes

penes illam sit timeri, penes nos sit odisse. Quanto igitur melius amore & charitate imperium custoditur, quam vi, aut metu! Præclare enim Cicero in Philippica prima: Charum esse ciuem, de Republ. mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum est: metui verò & in odio esse, inuidiosum, detestabile, imbecillum, caducum, quod videmus etiam in talibus ipsis illis, qui ODERINT, DVM METVANT, dixerint perniciosum fuisse. Et Seneca de Clementia: Crudelitas minime humanum malum est, indignumque regio animo: ferina ista rabies est, sanguine gaudere ac vulneribus: & abiecto homine, in siluestre animal transire. Et Plato lib. 5. de legibus: Melior est venia, quam vindicta: siquidem illa mitis est ingenii, hæc ferini. Quo etiam pertinet Sallustii illud ad Cæsarem: Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna arbitror: neque quenquam à multis metuendũ esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum æternum & anceps gerere: quoniam neque aduersus, neque à tergo aut lateribus tutus sis, semper in metu aut periculo agites. Item & Zonaræ illud: Nunquam gladius cuiquam sui amorem persuadere aut extorquere potuit, sed & eum, qui quæritur, perdit: & cæterorum animos ab eo, qui pœnas sumit, alienat. Neque enim ob aliorum supplicia amare incipiunt: Sed oderunt magis ob metum sibi quoque impendentem. Cæterum ex suspicione metus plerunq; oritur: quæ, secundum Menandrum, magnum est malum mortalibus. Sic enim ait:

ὑπόνοια δεινόν ἐστιν ἀνθρώποις κακὸν: Quippe quæ semper *ad tristem partem strenua est*, vt Mimus vult. Nam, vt Seneca ait:

Prona est timori semper in peius fides.

Quo

Quò igitur quisque est infœlicior, eò magis suspiciosus: quò magis suspiciosus, eò magis timidus: quò magis timidus, eò magis crudelis. Sic omnis suspicax, est timidus: & omnis timidus, crudelis: in quo extrema est infœlicitas ac miseria. Quod & Iulii Cæsaris exemplo notissimum est, qui admonitus à quibusdam, vt sibi caueret à Dolabella & Antonio, atqui (inquit) non istos ego metuo obesos & rubicundos, sed graciles illos & pallidos: ostenso Bruto & Cassio, notans eos & liuore macilentos, & metu liuidos esse ac pallidos: eaque de causa sæuos ingenio, & natura crudeles.

Symbolum XXX.
FL. FOCÆ.

FORTVNAM
CITIVS REPERIAS,
QVÀM
RETINEAS.



[Golz. Facilius fortuna paratur, quam conseruatur.]

Ludit in humanis rebus FORTVNA: *licebit*
Hanc REPERIRE *magis,* QVÀM RETINERE *diù.*

PVblianum hoc Symbolum est: FORTVNAM CITIVS REPERIAS, QVÀM RETINEAS: quo

quo significatur, admodum difficile esse, retinere fortunam, ne mutetur: quam semel quis prosperam nactus fuerit. Nam vt casus in illo, ita in hoc ars potissimùm dominatur. Maior autem virtus est tueri parta, quam parare. Sic enim Poëta Ouidius canit:

Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri:
Casus inest illic; hic erit artis opus.

Quod his verbis Demosthenes enuntiat Olynthiaca prima: πολλάκις χαλεπώτερον εἶναι δοκεῖ τὸ φυλάττειν τἀγαθὰ, τοῦ κτήσασθαι. Quam tamen sententiam esse veram idem mox negat in oratione secunda, cùm ait: πολὺ ῥᾷον ἔχοντας φυλάττειν, ἢ κτήσασθαι πάντα πέφυκε: Ita comparatum est, vt facilius omnia conseruentur, quàm acquirantur. Sed profectò ingens est onus fortuna magna, quam non minoris est negotii, sustinere, quàm parare. Magnæ enim fortunæ plerunque comites sunt stultitia & arrogantia: &, vt Mimus habet,

Fortuna, nimiùm quem fouet, stultum facit.

Sic & Socrates: οὔτε τὸν ἄῤῥωστον ἡ χρυσῆ ὠφελεῖ κλίνη, οὔτε τὸν ἀνόητον ἡ ἐπίσημος εὐτυχία: Neque ægrotum lectus iuuat aureus, neque stultum magna fortuna. Itaque virtus optanda potiùs est, quàm fortuna, quæ plerunque inutilis est stultis & periculosa: quippè quæ in his auget malitiam. ὕσῳ δὲ τις ἂν ἄφρων ᾖ, τοσούτῳ πλέον ἐξυβρίζει: Quo quis stultior fuerit, eò fit iniuriosior, vt scilicet fortuna sua non vtatur recte, vt decet: sed abutatur, vel ad luxuriam suam, vel ad aliorum contumeliam. Tunc igitur, secundum Euripidem, ὡς κακὸς ναύκληρος εὖ πράξας ποτὲ, ζητῶν τὰ πλείον, εἶτα πάντ' ἀπώλεσεν, id est, Fortunatus homo, tanquam malus nauclerus agit, qui bona aliquando vsus fortuna, ac plura deinde concupiscens, cuncta simul amisit. Nam &, secundum Æschylum, βαρὺ

φρόνημα

φρόνημα ἄνθρωπος εὐτυχῶν ἄφρων, homo fortunatus, sed stultus, onus est graue: Et, secundum Socratem, ταὐτόν ἐστιν ἀῤῥωστοῦντι φορτίον ἀναπέσαι, καὶ ἀπαιδεύτῳ εὐτυχίαν: Idem est, infirmo onus imponere, & imperito bonam fortunam. Atque hoc est illud, quod Plutarchus monet: fortunam magnam, vt & opes magnas, quas fortuna largitur, facilè equidem acquiri: paruam autem fortunam, vt & opes paruas, non sine labore & multo tempore comparari. Nam, vt Seneca ait, qui facultates sine ratione possidet, non diù possidet. Sic verum est, quod Pythagoras dixit: οὔτε ἵππων χωρὶς χαλινοῦ, οὔτε τύχης, δέχα φρονήσεως, δυνατὸν κρατεῖσθαι: Nec equum sine freno, nec fortunam sine prudentia gubernare licet. Et Plinii illud: Qui fœlicitati suæ imponit frenum, meliùs illam regit. Quò etiam pertinet Hermocratis dictum illud apud Plutarchum in Nicia: Recte victoria vti præclarius est, quam ipsum vincere: aut, vt L. Florus ait, plus est prouinciam retinere, quàm facere: vt quæ viribus parantur, iure retineantur: quòd multò esse videtur difficilius. Sic Q. Curtius: Facilius est quædam vincere, quàm tueri. Et Polybius hist. lib. 10. Quamuis magni sit momenti res amplas perficere, & victoriam ab hostibus referre pugnando: multò tamen maiore peritia & cautione opus est, vt recte ac commode applicentur, quæ præclare gesta sunt. Quantò igitur maior est fortuna, tantò minus est secura & expers periculi, teste Aristotele. Contra autem temperata fortuna optima est, teste Salomone. Neque enim inter obsequia fortunæ satis cauta est mortalitas, vt Q. Curtius scribit: & perrarò bona fortuna, bonaq; mens simul datur homini, vt auctor est T. Liuius. Quo fit, vt difficilius sit, teste Herodoto, secundam fortunam bene ferre, quam aduersam, cum perpaucis contingat, fœlices esse, & sapere,

pere, teste Plutarcho. Difficile enim est, virtutes eum reuereri, qui secunda semper fortuna sit vsus, vt Cornificius scribit ad Herennium. Nec sanè difficile minus, fœlicitati temperare, qua se non putet is diu vsurum, vt vult Cornelius Tacitus. Qua de re pulchrè admodum & egregie philosophatur Architas ille Pythagoræus in libro de viro bono & beato, cũ ait: ὅτως τὸ σῶμα βλάπτει μὲν & τὸ τῆς εὐδαίμονος, καὶ τὸ ὑπερβολῆς εἶδος· ἡ μὲν ἀπὸ νόσους τὰ μείζονας ἐμποιεῖν πέφυκεν ἡ ὑπερβολή, & τὰ καλέμματα ἀβελτερώματα· ὑπὸ καὶ ψυχὰν βλάπτει μὲν καὶ τὸ τῆς εὐτυχίας ἡ ἀτυχίας εἶδος ἀμαίρεως παρεμφυόμενον· ἡ μὲν ἀπὸ νόσους τὰ μείζονας ποιεῖν πέφυκεν ἡ λεγομένη παρὰ τοῖς πολλοῖς εὐτυχία· ὥστως εἶν & καταμιθύσκουσι τοῖς ἀγαθοῖς τὰν ἀφροσύνην. ὅθεν ἐν ἀτυχίαν ἐνεγκεῖν ἐμμελῶς χαλεπώτερόν ἐστι, ἀπὸ εὐτυχίαν. πάντες μὲν γὰρ ἐν ἀτυχίᾳ μὴ ὄντες, ὡς ἐπὶ πολὺ μάλιστα, καὶ κόσμιοι τὸ ἦθος & ἥμεροι φαίνονται· ἐν δὲ εὐτυχίαις αὐθρῶσι, μεγαλόφρονες, μεγαλόψυχοι. δοκοῦσι γὰρ ἀτυχίαν σωφρονεῖν, & καταστῆσαι τὰν ψυχὰν· ἡ δὲ εὐπραγία τὸν ἀκόλαστον ἐπῆρεν, & κινῶσαν· διὸ πεφύκασι μὲν ἅπαντες, καὶ σωστοὶ & τρόπον, ἀτυχοῦντες· ὑπιθυμικοὶ δὲ, & ἡμερόλαοι & τρόπαν, εὐτυχοῦντες. ὅρα & ἐν ἐστιν εὐτυχίας, ᾧ συμβαίνειτο ἀγαθὸς αὐτὸς σωτηρὲν αὐτῷ καὶ τοῖς ἠθυμοῦσιν ὠφελὸς καὶ τοῖς ἰδίοις πολίταις: ὥστως καὶ μέγιστ & κακῶ, & μέγιστ & πανδαλίαν, ὃ καὶ δυνατὸς ἂν εἴη ὁ ἀγαθὸς κυβερνήτης μεγάλα πλάγη ἀμπερωκέμενος, καὶ μεγάλων ναυκληρίαν σπλόμενος· ἡ δὲ ὑπερβολὴ τᾶς εὐτυχίας τοῖς ἀγαθοῖς, ἃ κρατεῖ πέφυκεν ὑπὸ τᾶς ψυχᾶς· ἀλλὰ κρατεῖν αὐτᾶς. ὥστως γὰρ τὸ λαμπρὸν φάος & μεταχυλίωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς· ὅταν & ἡ ὑπερβάλλουσα εὐτυχία τᾶν τᾶς ψυχᾶς. Quæ verba Latinè ita sonant: Quemadmodum corpori, & quòd nimium, & quod parum est, nocet: si tamen, vt grauiores morbos nimia procreent, &, quæ dicuntur, reliquiæ: Ita animum quoque & fœlicitas, & infœlicitas nimia lædit: sic tamen, vt grauiores morbos fœlicitas, quæ dicitur, procreet:

dum vini instar mentem bonis inebriat. Vnde non tàm infœlicitatem, quàm fœlicitatem, recte ferre, res est ardua ac difficilis. Nam in infœlicitate plerunque temperantes ac modesti: in fœlicitate animosi, vehementes ac superbi cernimur. Valet enim animum vt infœlicitas contrahere & componere: ita fœlicitas efferre & euacuare. Quò fit, vt cauti plerunque sint & prudentes, qui sunt infœlices: qui verò fœlices, iniurii & confidentes. Iusta autem fœlicitas est, quantam vir bonus ad actiones suas exoptet: quemadmodum & nauis atque claui iusta magnitudo ducitur, cuius opera probus gubernator magnum transire mare, magnamque potest nauigationem perficere. At nimia fœlicitas non tàm animo parere solet, quàm imperare. Vt enim lux nimia oculos, ita nimia fœlicitas animi intelligẽtiam offendit & quasi perstringit. Hæc ille. Sed &, secundum Mimographum:

Leuis est fortuna; citò repescit, quæ dedit.

Itaque tunc maxime habenda est suspecta, cùm maxime prospera est: Quippe, vt idem ait,

Fortuna cùm blanditur, captatum venit;
Et cùm splendet, frangitur.

Sic fit, vt, secundum Poëtam,

Non sit tuum, fortuna quod fecit tuum.

Semper autem, vt Laberius ait apud Gellium,

Fortuna immoderata in bono æquè atque in malo est.

Itaque fortunæ non est fidendum: cùm homines sæpe eam sint experti in suis bonis & malis, quam sit variabilis & incerta: quæ quamdiù sit duratura, vel

in quam

in quantumuis beatis hominibus, assererè difficile est, teste Dionysio: nam & destinata salubriter, omni ratione potentior fortuna discutit: quæ nunquàm diu eodem vestigio stat: semperque adeò homines, quantumcunque fœlicitatem habeant, inuidiam tamen sentiunt maiorem, auctore Curtio. Minimùm verò ei obesse potest fortuna, qui sibi firmius in virtute, quam in casu, præsidium collocauit, vt est in Rhetoricis ad Herennium: Cæterùm à Symbolo non multùm discrepat Senecæ illa sententia: Maiore tormento possidetur pecunia, quàm acquiritur. Itemque vox illa Maximiliani I. Cæsaris: Facilius est, regnum occupare, quam retinere: aut, vt Græcus ille loquitur:

τὸ σώζειν τὴν βασιλείαν χαλεπώτερόν ἐστι τοῦ κτήσασθαι.

Symbolum XXXI.

FL. HERACLII

A DEO VICTORIA.



[Golz. Super aspidem & basiliscum ambulauit, & conculcauit leonem ac draconem.]

Non vis, aut numerus, sed æqua causa
Victrix, atque Deo placens, triumphat.
Nam VICTORIA, *quæ triumphat vna,*
Fœlix, cœlitus A DEO *petenda est.*

PIndarus in Pythiis Hieronem non humana, sed diuina virtute victorem extitisse asserens: ἐκ θεῶν (inquit) μαχαναὶ πᾶσαι βροτέαις ἀρεταῖς, ἐς σοφοὶ, καὶ χερσὶ βιαταὶ περίγλωσσοί τε ἐφυν: Et Deo omnes virtutum humanarum conatus, & fortes manibus, & sapientes, & eloquentes sunt. Et in Isthmiis: κρόνεται ἀλκὰ διὰ δαίμονα ἀνδρῶν: Fortitudo mortalium à Deo est. Sic & Euripides scribit in Bacchis: πιστὸν τόγε θεῖον σθένος, id est, certa virtus diuina. Et in Supplicibus:

ἀρετὴ οὐδὲν φέρει
βροτοῖσιν, εἰ μὴ τὸν θεὸν χρῄζοντ' ἔχει:

Nil

Nil fortitudo proderit mortalibus,
Si non opitulator Deus sit maximus.

Quod cùm in aliis rebus, tùm maximè in bello & militia verissimum est, in qua præcipuè non tàm fortunæ, aut fortitudini militum, aut virium magnitudini confidendum est, quàm virtuti & bonitati diuinæ, & iustitiæ ipsius caussæ: Perinde enim facilè est Deo in paucis ac in multis vincere [1. *Macchabæor.* 3] quoniam secundum Psalmum, non in multitudine exercitus victoria bellica, sed de cœlo fortitudo vera est: &, secundum Poëtam,

Non vis aut numerus, tandem bona causa triumphat.

Quod & Xenophon confirmat ἀναβασ. γ. Neque multitudo (inquit) neque robur in bello victoriæ causa est, sed DEVS. Et Salomon in Prouerb. capit. 21. Paratur ad pugnæ diem equus, sed à Deo est victoria. Neque enim ex hominum consiliis, sed ex summi Dei voluntate ac potestate proficiscitur victoria: in quo spes omnis victoriæ reponenda: & à quo certa vincendi occasio plerunq; proponitur his, qui iusta ac necessaria arma induerunt, & belli causa præstiterunt. Nam, vt vetus ille versus habet Archilochi apud Clementem,

νίκη ἀνθρώποισι θεῶν ἐν πείρᾳ κεῖται:
Omnis in arbitrio posita est victoria diuum.

Et, vt Æschylus ait,

ἠαλῶς τὰ πλείω πόλεμος ἐκ θεῶν κυρεῖ:
Fœlix, Deo propitio, belli euentus est,

Tunc enim, secundum Euripidem,

εἷς τοι δίκαιος μυρίων οὐκ ἐνδίκων
κρατεῖ, τὸ θεῖον μὲν, δήκην τε συλλαβών:
Vir iustus vnus vincit iniustos citò
Multos, Deo iuuante, & iustitia simul.

E diuerso autem, teste Simonide,

ἔστις ἄνδρ' ἀγαθὸν ἄτερθε λάβεν, ἃ πόλις,
ἃ βροτὸς· θεὸς ὁ παμμήτης·
ἀπήμαντόν τε δέδυκεν εὖ αὐτῷ·

Sine Deo nemo virtutem adipiscitur, neque vrbs, neque homo; solus Deus omnium curam habet: nihil verò in his est integrum aut incolume. Nam, vt Sophocles ait, εἴπερ θεὸς βλάπτει, φύγοι ἂν οὐδὲ ὁ κρατῶν τὰ κράτιστα: *Si nolit Deus, Ignauus è manu fugit fortis viri. Nec facilè, siue deum opera propria humana sunt bona*; vt est in illo Accii apud Nonium: ac imò potius, vt Q. Calaber dixit,

ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια θεῶν ἐν γούνασι κεῖται:

Tam mala, quàm bona sunt posita in genubus Deorum.

Rectè itaque Euripides in Erechtheo;

ὡς οὐ θεοῖσι τοὺς σοφοὺς κινεῖν δορὸς
ἔρυμα λέπτυς χρή, τὸ θεὸν δ' ὃ μὴ βίᾳ:
Fas cum diis hastam mouere, qui sapit,
Belli ducem, nec dius inuitos vincere.

Siquidem, vt idem scribit in Ione, οὐκ ἔστι λαβεῖν, ὅτι μὴ χρῄζων θεὸς ὑπεκλέπτει: non licet adipisci, quando nolens Deus subducit. Sed & *cùm Deus negligitur*, secundum Ouidium, *magnus iniuria pœnis soluitur.* Quod exemplo Aiacis notum est, quem Sophocles scribit missum ad bellum, Telamoni patri se admonenti, vt à Deo victoriam peteret atque expectaret: fretum fiducia suæ virtutis, insolenter respondisse, ignauos etiam cum Deo, se verò absque Deo vincere posse: eamq; ob caussam impietatis suæ graues dedisse pœnas, furore percitum, & suo ipsius tandem gladio iugulatum. Sed præstat audire Sophoclem ipsum pulchrè hoc factum commemorantem:

Αἴας ἀπ' οἴκων οὐδὲν ἐξορμώμενος,
κἄνευ κηλῶν λέγοντος Διὸς πατρός.

ὁ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐννέπει: τέκνον, δορὶ
βούλου κρατεῖν μὲν, σὺν θεῷ δ' ἀεὶ κρατεῖν.
ὅδ' ὑψικόμπως, κἀφρόνως ἠμείψατο:
πάτερ, θεοῖς μὲν κἂν ὁ μηδὲν ὢν ὁμοῦ,
κράτος κατακτήσαιτ'. ἐγὼ δὲ δίχα
κείνων, πέποιθα τοῦτ' ἐπισπάσειν κλέος.
τοσόν δ' ἐκόμπει μῦθον: εἶτα δεύτερον
δίας ἀθάνας, ἡνίκ' ὀτρυνοῦσιν
ἡνδᾶτ' ἐπ' ἐχθροῖς χεῖρα φονίαν τρέπειν,
τότ' αὐτιφονεῖ δεινὸν ἄῤῥητον τ' ἔπος:
ἄνασσα, τοῖς ἄλλοις ἀρρείων πέλας
ἴστω: καθ' ἡμᾶς δ' οὔποτ' ἐκρήξει μάχη.
τοιοῖς δὲ τοῖς λόγοισιν ἀστεργῆ θεᾶς
ἐκτήσατ' ὀργὴν, οὐκατ' ἄνθρωπον φρονῶν.

Quos versus ita conuertit Iosephus Scaliger in Aiace Lorario:

Aiax & olim primitus domo exiens,
Demens, monente patre benè, deprensus est.
Nam sic monebat: Gnate, bellica clue
Virtute victor: vince cum Deo tamen.
Contrà ille toruè affatur, ac superbiter:
O genitor, etiamsi quis est nullius rei,
Virtute diuum vincet: ast ego hanc summam
Etiam sine illis indipiscar gloriam.
Adeò superbè est eloquutus. Denique
Diuæ Mineruæ, dum illum in offertissimos
Hortatur hostes vertere infestam manum,
Dictum obloquutus perperam est & impotens:
O Diua, Græcos cæteros præsens ope
Tutare: nam in nos nulla vis pugnæ ingruet.
His ille verbis sibi Deæ implacabiles
Asciuit iras, homine spirans altiùs.

Adeò verùm est Pindari illud in Olympiis: ἔα πόλεμον, μάχαν τε πᾶσαν, χωρὶς θεοῦ: Omitte bellum, omit-

te pugnam, sine Deo. Nam, vt idem canit in Isthmi-is, μεγάλαι ἀρεταὶ θνατοῖς ἔπονται σὺν θεῷ : magnæ vir-tutes comitantur homines, solius Dei beneficio.

τί γὰρ τὸ σοφὸν, ἢ τί τὸ κάλλιον
παρὰ θεῶν μέγας ἐν βροτοῖς,
ἢ χεῖρὸς ὑπὲρ κρυφῶς
ἢ ἐχθρῶν κρείσσω κατίσχειν;
Quid pulchrius, aut sapientius
A diis dari mortalibus
Potest, nisi victoria
Ab hostibus pulcherrima?

vt Chorus canit apud Euripidem in Bacchis. Sic igi-t it verum est hoc Symbolum: A DEO VICTORIA; [*Prouerb.* 21.] seu, quod idem est, DE COELO VICTO-RIA. [1. *Macchab.* 3.] Qua voce milites suos confirma-re & excitare solitus fuit in acie Fl. Heraclius Impe-rator, princeps fortissimus atque victoriosissimus: palàm & apertè professus, neminem sibi, præter De-um, auxiliari posse ac debere, in quo vincere præcla-rum sit ac decorum, quo volente vnus mille facilè persequatur: vt, secundum Euripidem,

ὀλίγον ἄλκιμον δορὺ
κρεῖσσον στρατηγὲ μυρίου στρατεύματος: hoc est, exigua ha-sta valida sit potior, quàm dux infiniti exercitus. Itaq; Cosroë Persarum rege profligato, & victis eius duci-bus, & tota regione in vltionem ferro flammaq; de-uastata, ac demum pace cum Siroë, Cosroës filio, æ-quis conditionibus facta: Byzantium triumphabun-dus ingressus Heraclius, crucem Domini, quam ab hoste recepit, in manibus tenens, palàm egit De-o gratias pro victoria, cui eam solùm acceptam retulit, in cuius rei memoriam dies ille fastis Romanis ascri-ptus: & festum Crucis exaltatæ institutum fuit. Sed & victoriæ huius memoria in veteri eiusdem numisma-

te repræsentatur: in quo est imago Heraclii, cum triumphali curru: cuius limbo verba hæc insignita sunt: SVPER ASPIDEM, ET BASILISCVM AMBVLAVI, ET CONCVLCAVI LEONEM AC DRACONEM. Sed in medio Græca hæc verba leguntur: δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ: ὅτι διέρρηξε σιδηρᾶς πύλας, καὶ ἠλευθέρωσε ἁγίαν βασιλείαν ἡράκλειε: Gloria in excelsis Deo: quoniam ferreas disrupit portas, & sanctum liberauit regnum Heraclii: vt est apud Cuspinianum in Heraclio Cæsare. Præclare igitur Augustinus: Non hostium (inquit) turba, non bellantium forma, non quasi fulgens vitrea nos terreat armatura. Nam donabit certanti victoriam, qui certandi dedit audaciam. Et Hieronymus: Vere tuta pro Christo, & cum Christo pugna, in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus fraudatur à victoria. Et Ambrosius: Non est glorioſa victoria, nisi vbi fuerint laboriosa certamina. Quò etiam pertinet Appiani illud: Victoria non numero hominum, sed diuino beneficio conceditur. Et Agathiæ hoc libr. 3. Dei arbitrio expenditur victoria: neque ad insolentissimos quosque illa accedit: sed ad eos duntaxat, ad quos conditor ille rerum & moderator accedere voluerit.

Symbolum XXXII.

FL. HERACLII CONSTANTINI.

INSANIA,

LAETA

VOLVPTAS.

{Golz. Voluptas, hilaris insania.
Item: Satis est potuisse punire.

Quid nisi dulce malum, aut INSANIA LAETA, VOLVPTAS
Corporis est, animæ pestis, & esca mali?

QVi dulce malum, voluptatem dixit, recte dixit: omnia, quæ de voluptate dici possunt, vno quasi verbo complexus. Blanda siquidem res est voluptas, quæ pulcherrima specie vtilitatis & iucunditatis hominibus blanditur, sed ea tamen perniciosa & turpis, quæ in maximam tandem molestiam & calamitatem cum infamia & dedecore coniunctam coniicit eos, quos semel amice complexa est. Ex quo recte Plato, teste Tullio, escam malorum voluptatem appellat, cùm ait: Δέλεαρ τῶν κακῶν ἡ ἡδονή. Quod dictum

dictum refert quoque Plautus in Mercatore: *Voluptas est malorum esca: quod ea non minùs homines, quàm hamo capiantur pisces.* Et M. Cicero 2. de Leg Imitatrix est boni voluptas: malorum mater omnium, cuius blanditiis corrumpuntur, quæ natura bona sunt. Vnde ab eodem alias illecebra turpitudinis nominatur, quæ tamen habeat quiddam naturalis boni. Sic nimirum, vt Poëta ait:

——virgo formosa supernè,
Desinit in turpem piscem malesuada voluptas,
Vtilitasque boni specie fucata. ———

Nam est falsæ vtilitatis & voluptatis omninò quidē virginea facies, cuiusmodi est Scyllæ ac Sirenum, sed quæ blandissimæ sunt dominæ: nigra profectò, & venenosa cauda: quæ, vt scorpius, incautos vulnerat. Vnde & Pythagoras vetat γεύεσθαι μελανούρων, id est, gustare ea, quæ nigram habent caudam, quo nomine rectissime intelligitur voluptas, cuius appetitio quidem plena est iucunditatis, satietas verò pœnitentiæ. Quippe quam dolor excipit atque infœlicitas, vt boni principii malus sit exitus: irrita pœnitentia comitante. Quò fit, vt, cùm ea præteriit, perinde sit, ac si nulla omninò fuerit voluptas. Nam &, secundum Pindarum, τὸ παρ' δίκαν γλυκὺ πικροτάτου μένει τελευτὰ, id est, voluptatem sine iustitia finis comitatur acerbissimus, vt vere voluptas sit, quod Augustinus dixit, amara dulcedo, quæ parum mellis multo felle diluit. Fluit enim, vt Cicero docet, & prima quæque euolat, sæpiusque relinquit causas pœnitendi, quam recordandi. Sic nimirum fit, vt secundum Nasonem,

Gaudia principium nostri sint sæpè doloris.
οὐ γὰρ τερπωλῆς ὀλοώτερον ἄλλο βροτοῖσι,

vt est apud Q. Calabrum: &, vt in veteri prouerbio dici-

dicitur, ἐκ τοῦ φιληδονεῖν, γίγνεται τὸ δυστυχεῖν. Quippe, vt Silius Italicus canit,

---nec ira deum tantum, nec tela, nec hostis,
Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.

Nam & animi obscurat industriam, & mentis perstringit aciem, & rationis offuscat iudicium, & consilii impedit celeritatem, adeoque maiores animi partes à virtute detorquet ad vitium atq; turpitudinem. Quò fit, vt animus voluptati libidinique deditus, & amore, desiderio, cupiditate, copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, nullis rebus honestis aut studiis liberalibus recte, operam dare possit; neq; altum quicquam aut magnificum & diuinum suscipere, qui omnes suas cogitationes abiecit in rem tam humilem & contemptam. Neque enim in regno voluptatis potest virtus consistere: cum qua nullum omninò habet commercium. Quemadmodum & Xenophon ait, τῷ ἀνδρὶ ἥττονι διὰ τοῦ σώματος ἡδονῶν, πάμπαν οὐδεμιᾶς ἀρετῆς προσήκειν, homini voluptario nullam omninò virtutem conuenire. Et M. Cicero ad Atticum: Maximas virtutes iacere oportet, voluptate dominante. Et in Catone Maiore: Impedit consilium voluptas, & rationi inimica est, & mentis, vt ita dicam, perstringit oculos: nec vllum habet cum virtute commercium. Taceo, quod & dolores parit voluptas, & corrumpit valetudinem: & affligit animum conscientia male factorum, & mortem affert immaturam: &, quod omnium grauissimum est, æternum accersit supplicium: quo nihil esse potest miserius: Sed & blandum homini & quasi mellitum venenum est voluptas, quod non solùm dementat hominem: &, vt Q. Calaber dixit, ἄφρονα φῶτα τίθησι, καὶ πινυτὸν περ ἔοντα, id est, vel prudentem reddit stultum, sed ex homine plane efficit bestiam. Nemo enim est dignus

nomi-

nomine hominis, qui vel vnum diem totum velit esse in voluptatibus, auctore Tullio. Vnde immanis illa & belluina voluptatis consectatio recte ab Aristotele θηριότης, hoc est, feritas appellatur: quod qui eã habuerint, omni exuta humanitate, & ratione perturbata, belluarum similes continuò fiant. Quod & Socrates ille Xenophontæus testatur: οὐδὲν (inquit) διαφέρει ἄνθρωπος ἀκρατὴς θηρίου τοῦ ἀμαθεστάτου. ὅστις γὰρ τὰ μὲν κράτιστα μὴ σκοπεῖ: τὰ δ' ἥδιστα ἐκ παντὸς τρόπου ζητεῖ ποιεῖν: τὶ ἂν διαφέροι τῶν ἀφρονεστάτων βωσκημάτων; Nihil interest inter hominem incontinentem & belluam. Quid enim à brutis animantibus differtis, qui ea, quæ optima sunt, non cogitat, sed omnibus modis ea tantùm persequitur, quæ ad voluptates pertinent? Sic voluptas vere est Circe illa Homerica, quæ blando suo veneno dementat homines, & quadam veluti immanitate efferatos reddit: non sine aliquo sensu iucunditatis, aut suauitatis, vt nimirum sit, quod in Symbolo dicitur, INSANIA LAETA, VOLVPTAS. Sic & D. Hieronymus: Quicquid (inquit) seminarium voluptatis facit, hoc venenum puta. Contra hanc dominam blandissimam recte monet Socrates apud Xenophontem tanquam contra hostem acerbissimum, non minùs quam pro libertate & pro vita ac salute pugnare nos debere, ac virtuti operam inprimis dare, cuius dominæ iugum & pulcherrimum & optimum & iucundissimum est animo liberali, & suæ salutis studioso. Nam etsi virtutis primus aspectus est quodammodò horridior: tamen finis iucundissimus & vtilissimus consequitur. Et Liuius libr. 10. Decad. 3. Non est (inquit) tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantum à circumfusis vndique voluptatibus, qui eas sua temperantia frenauit ac domuit, multò

maius

maius decus maioremque victoriam sibi pepererit: quam nos victo hoste habemus. Turpe est (ait Dion. lib. 41.) modò ea voluptate duci, cuius pòst pœniteat: indignumque est, eos qui hostibus suis superiores euaserint, voluptatibus succumbere. Et Tacitus: Degenerat à robore ac virtute miles assuetudine voluptatis, si quid ardoris ac ferociæ habuit, potionibus & commessationibus deteritur. Quò etiam pertinet elegantissimum illud figmentum de Hercule, quem Prodicus dicit (vt est apud Xenophontem) cùm primùm pubesceret, exisse in solitudinem, atque ibi sedentem diù secum multumque dubitasse, cùm duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius esset: ac tandem viam virtutis prætulisse voluptati, virtuteque duce ac magistra vsum esse. Rectè igitur Demosthenes: ἡδονὴν οὐ πάσαν, ἀλλὰ τὴν ἐπὶ τῷ καλῷ αἱρεῖσθαι χρεών: hoc est, voluptatem non quamlibet, sed cum honestate coniunctam, eligere oporteret. Et Isocrates in Nicocle: τὰς ἡδονὰς θέρευε τὰς μετὰ δόξης. τέρψις γὰρ σὺν τῷ καλῷ μὲν ἄριστον: ἄνευ δὲ τούτου κάκιστον: Eas sequere voluptates, quæ gloriam pariant. Nam voluptas coniuncta cum honestate, res est optima, sine hac verò pessima. Sed & benè ille monuit, qui voluptates potiùs à tergo, quàm à fronte: & abeuntes magis, quàm adeuntes, contemplandas esse monuit. Quemadmodum & Demosthenes voluptates eas quærere iubet, quæ labores sequuntur, non autem eas, quæ præcedunt. Sic & Socrates: δεῖ (inquit) ὥσπερ σειρῆνας τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν, τὸν ἀπεύδοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν, ὥσπερ πατρίδα: Decet voluptates, tanquam Sirenes, surdis auribus præterire eum, qui ad virtutem, tanquam ad patriam, festinat. Et Menander:

φεῦγ' ἡδονὴν, ἔχουσαν ὕστερον βλαβήν.

Quam

Quam sententiam ita protulit Ouidius:

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Quò etiam pertinet Musonii illud à Gellio relatum: αὐτὶ πράξεις καλὸν μετὰ πόνου: ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει: αὐτὸ δὲ ποιήσῃς αἰσχρὸν μεθ' ἡδονῆς: τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει. In quam sententiam Cato dixit: Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem rectè feceritis, labor ille à vobis citò recedet: benefactum à vobis, dum viuetis, non discedet. Sed si qua per voluptatem nequiter feceritis: voluptas citò abibit: nequiter factum illud apud vos semper manebit. Similis est Lactantii sententia hæc in libro de opificio Dei: Te moneo, vt oblectamenta ista terræ, pro magnis ac veris bonis habere, ne credas: quæ sunt non tantum fallacia, quia dubia: verùm etiam insidiosa, quia dulcia: Et Senecæ illa in Epist. 27. Quemadmodum scelerum, etiam si non sint deprehensa, solicitudo non cum ipsis abiit: ita improbarum voluptatum etiam post ipsas pœnitentia est. Et Epistol. 39. Quis hostis in quenquam tàm contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ? Quidam se voluptatibus immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt, ob hoc miserrimi sunt, quod eò peruenerunt, vt illis, quæ superuacua fuerũt, facta sint necessaria. Seruiunt itaque voluptatibus, non fruuntur, & mala sua, quod malorum vltimum est, amant. Tunc autem consummata est infœlicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed placent, & desinit esse remedii locus, vbi, quæ fuerant vitia, mores sunt.

Sym-

Symbolum XXXIII.

FL. HERACLIONÆ.

MALI
PRINCIPII
MALVS
EXITVS.



FINIS PRINCIPII *si* MALVS *est* MALI:
Semper principium fac benè cum Deo.
Finis principii sic bonus est boni:
Sic totum geritur ritè negotium.

QVemadmodum Geometræ sua postulant αἰτήματα, quæ vocant: ita Tyranni hoc quasi αἴτημα sibi concessum putant, ἀναιρεῖν τοὺς ἀδελφοὺς ὑπὲρ ἀσφαλείας, id est, fratres tollere securitatis causa, vt est apud Plutarchum. Quod ita verum esse multis exemplis compertum est. Nam &, secundum Poëtam,

Fraterno primi maduerunt sanguine muri:

Quando nimirum Remum fratrem interemit Romulus, cui visum esset vtilius (vt Cicero ait) solum, quam cum altero, regnare: licet muri causam opposuit speciem honestam: nec satis probabilem, nec satis idoneam, quod ludibrio eius contra leges murum transiliuisset, vt est apud Liuium. Sic eadem armauit

dira

dira regnandi cupiditas Eteoclem & Polynicem: Cyrum & Artaxerxem, Antoninum & Getam, Constantinum & Theodosium fratres, vt alter alterum è medio tolleret, & patrio regno deturbaret: οὕτως ἄμικτος ἐστὶ, καὶ θεριώδης ἡ τῆς πλεονεξίας ὑπόθεσις, κοινὸν μὲν καὶ σύμφυτον νόσημα πάσαις ταῖς δυναστείαις, teste Plutarcho: quã nec vastum mare, nec celsa iuga montium, nec immensæ solitudines, ac imò nè quidem vlla fœderum religio, aut sanguinis iura coërcere possunt. Sic & Constantinum fratrem consanguineum veneno sustulit Heraclionas, vel potiùs pro eo Martina, nouerca illius, vt filius imperio potiretur pro priuigno, quod male ita partum, male amisit, naso mutilatus, & in exilium missus, ac denique in carcere mortuus: vna cum matre sua, cui lingua execta fuerat, nec oratione populum concitaret. Quo sane facto verum in se comprobauit Symbolum hoc: MALI PRINCIPII, MALVS EXITVS. Quod Græco illo versu expressum est:

κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνετ' τέλος κακόν.

Nam &, secundum Ouidium:

---*Principiis omen inesse solet.*

Et, secundum Platonem, principium in vnaquaque re maximum est, quod plurimum valet ad id, quod ex eo consequitur, teste Aristotele. Quanquam enim, vt Hieronymus scribit, sæpe sinistra principia ad finem perueniunt fœlicem: temen multo est verius, ea, quæ malo sunt inchoata principio, vix vnquam bono peragi exitu, vt Leo Papa rescripsit in quodam Canone. Qui & principatum, quem aut seditio extorsit, aut ambitio occupauit, etiamsi moribus, aut actibus non offendat, ipsius tamen initii sui exemplo perniciosum esse dicit. Quandoquidem ex malo nil nisi malũ prouenit: &, vt Iustinianus Imperator loquitur, vno principio illicito dato, plurima sequuntur alia illici-

ta. Sed & qui dat malum, rursus accipit, vt sit nimirum, quod vocant, Termerium malum, & quasi vindicta Neoptolemea, in qua idem hoc quis patitur, quod fecit alteri. Nam, vt Rhadamanti ille versus habet,

εἴκε πάθοι, τά τ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο:

Si quis, quæ fecit, patitur, iustissima pœna est.

Etenim verum est, quod dicitur, per quæ quis peccat, per eadem punitur: &, vt Græci loquuntur: δι' ὧν τις ἁμαρτάνει, δι' αὐτῶν καὶ παιδεύεται. Cui respondet Hesiodeum illud:

οἷα τ' ἀνὴρ ῥέζει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει:

Qualia vir patrat, talis manet exitus illum.

Sic atrocium delictorum atroces sunt pœnæ, etiam in hac vita, manetque immotum illud, & perpetuum Christi verbum: Qui gladium accipit, gladio perit. Plerumque etiam accidit, quod dicitur:

ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται, αἷς ἐπῆρξεν.

Sic nimirum sui cuique mores plerunque conciliant fortunam: vt Cornelius Nepos scribit in vita Pomponii Attici: adeoque, secundum Ciceronem, faber est quisque fortunæ suæ.

ἐσθλῷ γὰρ ἀνδρὶ τ' ἐσθλὰ καὶ δίδοι θεός:

Viro bono fortunam dat Deus bonam.

Contra autem, κακοῖς τρὶς κακὰ, Malis ter mala, & malus malum reperit, vt vulgò dictitant. Itaque vt bonus sit finis, bonum principium esse necesse est, quod vt bonum sit, à Deo & cum Deo faciendum est principium, nomine scilicet & auxilio implorato diuino: quod cùm sit, ex eo bonum initium, melius medium, optimus finis consequitur, vt Accursii verbis vtar. Neque enim vllius boni operis ædificium superstrui potest, vbi non est fundamentum Christus, teste Gregorio, qui salutis nostræ fundamentum est, secundum

dum Apostolum. Nam &, secundum Platonem in legibus, ὁ μὲν θεὸς ἀρχὴν τε, καὶ τελευτὴν, καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχει, id est, Deus omnium, quæ sunt & existunt, principium, & finem, & medium continet; quæ scilicet est rerum omnium vniuersitas, θεὸς γὰρ τὸ πᾶν, vt Pindarus ait: &, vt Orpheus:

ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτὴ:

ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων, καὶ μέσσον, ἠδὲ τελευτήν: Deus omne & vniuersum est: idemque principium & finis omnium; nempe principium, & medium, & finem rerum continens. Itaque rectè monet Pindarus in Pythiis, παντὶ μὲν θεὸν αἴτιον ὑπερτιθέμεν, cuiuslibet rei Deum auctorem ponere: seu, vt Aratus canit, ἐκ διὸς ἀρχεσθαι, *à Ioue principium facere.* Quod & Plato monet in Epistol. 6. A Diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. Et M. Cicero in Vatinium: Omnium rerum à Diis immortalibus principia ducuntur. Et Isocrates: ἐκ θεοῦ ἄρξασθαι δίκαιον μοι δοκεῖ. Sic & Nazianzenus monet:

ἀρχὴν ἁπάντων, καὶ τέλος ποίει θεόν,

Fac principium omnis & finem rei Deum.

Et in Apologia: τάξις ἀρίστη παντὸς ἀρχομένου λόγου, καὶ πράγματος, ἐκ θεοῦ γε ἄρχεσθαι, καὶ εἰς θεὸν ἀναπαύεσθαι: Optima sanè ratio est cuiusuis sermonis aut operis exordiendi, à Deo facere principium, & in Deo desinere.

Symbolum XXXIV.

FL. CONSTANTIS II.

PARENDVM
NECESSITATI.

[Golz. Sequere trahentia fata.
Item: Male quæsita, male dispereunt.]

PARE NECESSITATI, *si non sponte, vi*
Pares coactus, MAGNA VIS, NECESSITAS.
Sin sponte pares, nulla vis necessitas:
Ducit volentem quippè, nolentem trahit.

SVmptum esse hoc Symbolum videtur ex Tit. Liuio: cuius verba hæc sunt: PAREATVR NECESSITATI: quam ne Dii quidem superant: Quanquam postremum eius membrum Simonidi tribuitur, qui dixit, ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται: Necessitati ne Dii quidem resistunt. Cuius sæpe mentionem facit Plato: qui lib. 5. de LL. scribit, τὴν ἀνάγκην οὐδὲ τοὺς θεοὺς βιάζεσθαι, ne Deos quidem cogere posse necessitatem: & libr. 7. οὐδὲ θεὸν ἀνάγκῃ μήποτε φανεῖσθαι μαχόμενον, ne Deum quidem vnquam visum esse cum fato aut necessitate pugnare. Et in Symposio: πολλὰ δὲ δεινὰ τοῖς θεοῖς γενέσθαι. ὡς λέγεται, διὰ τὴν ἀνάγκης βασιλείαν, multa

&a-

& acerba Diis accidisse, quod licitur, ob necessitatis imperium. Maximum enim & vltimum telum est necessitas, vt idem scribit Liuius: & vt Euripides, τὸ τῆς ἀνάγκης γεινὸν: *cuius*, secundum Labetium *auersi cursus impetum voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.* Siquidem, vt Horatius ait.

——— æqua lege necessitas
Sortitur insignes & imos:
Omne capax mouet vrna nomen.

στέῤῥα γὰρ ἀνάγκη, vt est apud Euripidem in Hecuba: & secundum Flaccum,

figit clauos adamantinos
Summis verticibus dira necessitas:

quæ, teste Dionysio, multò est potentior natura humana: imò & omni arte & ratione efficacior, auctore Curtio: qua, secundum Nicetam: nihil est violentius, quam idcircò, vt Pindarus ait, οὐ πῦρ, οὐ σιδηροῦν σχήσει τεῖχος,, nec ignis, nec ferrea arcebunt mœnia. Sic & Euripides in Helena scribit,

δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον:
Necessitate dira nil est fortius.

Nam, secundum Menandrum,

ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πάντα δολοῦται ταχύ:
Sibi cuncta subigit protinus necessitas.

Quod & Thales ille confirmat: Fortissima (ait) rerum omnium est necessitas, quæ cuncta superat, vt est apud Diogenem Laërtium. Nam &, vt Senecæ placet in Troade,

Necessitas plùs posse, quàm pietas, solet:

&, vt Palladius duxit, Necessitas feriis caret: τὰ δὲ μόρσιμα πάντως οὔτε τις οἰωνὸς ῥύσεται, οὔθ' ἱερὰ, vt est in elegia Solonis. Sed &, vt Augustinus loquitur, necessitas non habet legem: sed ipsa sibi facit legem. Nã quod in lege non est licitum, necessitas facit licitum, vt Iuriscon-

sulti docent: Quanquam quod pro necessitate hoc modo statutum est, cessante necessitate, ipsum quoque cessat, secundum Innocentium: vt quæ propter necessitatem recepta sunt, in argumentum trahi non debeant, auctore Paulo Iurisconsulto. Quid? quod & omnia doceat necessitas: vt est in veteri versu apud Plutarchum:

χρειὼ πάντ' ἐδίδαξε, τὶ δ' οὐ χρειώκεν ἀνεύροι.

Nam, secundum Q. Curtium, necessitas ignauiam acuit: eaque semper est efficacior in rebus aduersis, quàm ratio: adeoque, teste Aristophane, optima est artium inuentrix & magistra: quæ industriam facit parandi victus, vt Plato ait: &, vt apud Suidam legitur,

χρειὼ διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ, σοφόν:

Cautum è rudi reddit magistra necessitas.

Quæ & ipsa, vt Val. Maximus loquitur, humanæ imbecillitatis iuramentum est efficacissimum. Quinimò, secundum Menandrum,

ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πολλὰ ποιοῦμεν κακά:

Ad multa cogit nos necessitas mala:

vt vere sit, quod M. Cicero scribit, necessitas morbus grauissimus. Quid multa?

Certum est & ineuitabile fatum,

secundum Manilium. Qua voce Philosophi necessitatem intelligunt, quæ est æterna rerum series, & causarum connexio, vt Stoicis placet, necessariò cohærentium: cui veluti cedens Iupiter apud Maronem: *Fata* (inquit) *viam inuenient.* Nam & Velleius apud Tullium fatalem illam necessitatem vocat εἱμαρμένην: qua quidquid accidit, id ex æterna veritate, causarumque continuatione fluxisse dicitur. Quemadmodum & Poëtæ necessitatem faciunt Deã: cuius filiæ sunt tres Parcæ, vt auctor est Plato lib. 10.

de Re-

de Republ. quæ & ipsæ ineluctabiles atque inexorabiles sunt, & vt Græci loquuntur, ἀμετάτρεπτοι: quæque pensa trahunt ac stamina vitæ humanæ: eaque vel candida & argentea, id est, fœlicia, vel pulla & ferrea, id est, infœlicia: quæ mutare nemini liceat. Sic igitur verum est Euripideum illud:

οὐκ ἔστι μοίρας τοῦ χρεών τ' ἀπαλλαγή:

Fati & necessitatis haud vlla est fuga

τὸ γὰρ μόρσιμον οὐ πάρφυκτον, secundum Pindarum: & vt Tiresias vult in Phœnissis Euripidis:

ἅπερ πέφυκε, ταῦτα κἀνάγκη σε δρᾶν:

Facere est necesse, quæ fatis decreta sunt.

Neque enim quisquam plus fato potest: vt sapienter Minerua monet apud Euripidem in Rheso, his verbis:

οὐκ ἂν δύναιο τοῦ πεπρωμένου πλέον:

Fatum nimirum intelligens Διὸς νοῦν, vt Phurnuto placet: quoniam, secundum Hesiodum,

οὔτι πῇ ἐστὶ Διὸς νόον ἐξαλέασθαι.

Sic nimirum fit; vt is fere sit sapientior, qui paret necessitati: quique, vt Seneca scribit, nunquam facit inuitus, quidquid necesse futurum est. Nam *effugere nemo poterit necessitatem, vincere poterit*, vt idem Seneca loquitur: Quippe quæ, teste Augustino, non est in potestate nostra: &, secundum Senecam, tollit arbitrium, & prudentiam humanam superat, teste Niceta. Manum enim iniectantibus fatis (ait Marcellinus) solent hebetari sensus hominum atque obtundi: & inelectuabilis fatorum vis, cuiuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit: imò præualent fata consiliis, omnemque mentis humanæ aciem perstringunt: Quippe ita se res habet, vt plerunque qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat: efficiatque, quod miserrimum est, vt quod

accidit, etiam meritò accidisse videatur: & casus in culpam transeat, auctore Velleio Paterculo. Nulla adeò vis humana vel virtus meruisse vnquam potuit, vt quod præscripsit fatalis ordo, non fiat. Quò fit, vt repugnanti, non volenti necessitas sit: quoniam in volente necessitas non est, vt vult Seneca. Nam, vt in Tragœdia est,

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Quidquid igitur ex necessitate fit, quoquo modo illud fiat, sanè hoc excusationem meretur: Siquidem, vt Demosthenes scribit, ἡ τῆς ἀνάγκης χρεία φέρει τίνα συγγνώμην παρὰ τοῖς ἀνθρωπίνως λογιζομένοις: Necessitas ipsa veniam quodammodò parit apud eos, qui humaniter iudicant. Sapienter itaque monet Euripides:

σὺ δ' εἰκ' ἀνάγκῃ, καὶ θεοῖσι μὴ μάχου:

Pare necessitati, nec pugna Diis.

Et Epictetus in tabula Cebetis: Duc me (inquit) ô Iupiter, & tu Fatum, quò sum à vobis destinatus: sequar ego alacriter: quod si tamen noluero, sequar nihilominus, & improbus ero. Quò respexisse videtur Maro in Æneide, cùm ait:

Quò fata trahunt retrahuntq; sequamur.

Et Palladas:

εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρε καὶ φέρου, εἰδ' ἀγανακτεῖς,
καὶ σαυτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ φέρον σε φέρει.

Si te fata ferunt, benè fer, sic ferre; sed æger
Si male fers animo, te male fata ferunt.

Sym-

Symbolum XXXV.

FL. CONSTANTINI QVARTI POGONATI.

QVOD CITO

FIT,

CITO PERIT.



QVOD CITÒ FIT, PERIT *hoc* CITÒ: *sat citò, sat bene quod fit:*
Qui sapit ante pilos, haud sapit ille diù.

SCitum est Homericum illud in Iliade:
ὄψιμον ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὐκ ἀπολεῖται.
Quem versum M Tullius ita conuertit:
Tarda & sera nimis, sed fama & laude perennes.
Quo significatur, ea quæ serò contingunt, magnifica plerunque & diuturna esse solere: vt compensetur hoc modo quadantenus tarditas ipsa stabilitate ac perpetuitate, non modo operis ipsius, quod perficitur: sed etiam gloriæ & famæ immortalis, quæ ex eo consequitur: cum nihil sit stabile & perpetuum: nisi quod perfectum est & maturum. Nam, vt in Symbolo est, QVOD CITO FIT, CITO PERIT: id est, vt Ioannes Antonius Campanus scribit,

Quod subito exoritur, fluctuat vt subitum.

Quemadmodum omnia præconia subitò flaccescere, & vno quasi die omnia consenescere videmus. Quãquam enim, si Columellæ credimus, matura satio sæpe decipit: sera nunquam, quin mala sit: satis tamen constat longe durabilius esse & vitalius, quod paulatim crescit & augetur: quàm quod vna quasi nocte, tanquam fungus, subitò nascitur aut prorumpit. Nã, secundum Pindarum in Nemeis, αὔξεται ἀρετὰ χλοεραῖς ἐέρσαις, ὡς ὅτε δένδρον ἀΐσσει, σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσα ἐν δικαίοις τε πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα: id est, Crescit virtus, tãquã viridi sparsa rore, & inter sapientes iustosque homines in cœlum sublata. Contrà autem, Sophocle teste in OEdipo,

Periculosa est præpropera prudentia.

Nam & pueros eos, qui, vt Pindarus loquitur, κρείσσονα ἁλικίας νόον φέρβονται ἐς γλόττιαν, id est, *quorum prudentia velox ante pilos venit*, vt Persius ait (quos ἀνδραπαίδας Sophocles nominat) eos inquam pueros aut non vitales, aut in ætate matura dementes fere vulgò dictitant. Quemadmodum Plinius lib. 7. refert, Caronem Censorium, velut ex oraculo, prodidisse, senilem iuuentam præmaturæ mortis signum esse. Et apud Senecam Cestius de ingenio Alfii Flauii prædicare consueuit, tàm mature magnum ingenium non esse vitale, qui alias etiam ingenia illustriora scribit esse breuiora. Sic & Fab. Quintilianus negat, præcox illud ingeniorum genus facile peruenire ad frugem. Et notus est vetus ille versus Poëtæ, quem Apuleius citat:

Odi puerulos præcoci sapientia.

Quem Menander ita refert:

ὁ παρ' ἡλικίαν νοῦς μῖσος ἐξεργάζεται:

Odiosa præcox semper est prudentia.

Quod

Quod Actius etiam approbare videtur: qui apud A. Gellium ait, sibi in iuuenilibus ingeniis itidem, vt in pomis immaturis, placere acerbitatem: nam hanc demum maturescere: & maturitatem tunc adferre tempestiuam suauitatem: reliqua ante tempus putrescere. Neque enim (vt Cicero ait) succus in eo potest esse diuturnus, quod nimis celeriter maturitatem assequitur suam: &, secundum Plinium, quæ spectatissima florent, solent marcescere: aut, vt Seneca loquitur, ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Sed ne alia exempla adferam, quid quæso rosis est pulchrius aut amœnius?

At dum nascuntur, consenuere rosæ.
Nam quàm longa dies, ætas tàm longa rosarum:
Quas pubescentes iuncta senecta premit:

vt Epigramma habet Maronianum. At verò quid annosius est quercu, vel robore duro: quæ, secundum Flaccum,

Crescit occulte velut arbor æuo:
Sic diù crescens æuum prorogat ipsa suum.

Sic & beta citò nascitur: buxus paulatim. Quomodo & Theophrastus memorat, arborem quandam Indicam fructus non ferre ante annos centum: sed eò tamen postea meliores & suauiores, quò seriores & tardiores. Sic & Elephantum *gaudium esse perpetuò decem annos*, scribit Plautus in Sticho: cui suffragatur Plinius libr. 8. licet Aristoteles biennio eum parere putat, nec sæpius, quàm semel singulos generare. Sed is cùm parit, fœcum virilem, & nobile ebur parit, quouis auro & argento preciosius. E diuerso canis, vt in prouerbio est, cùm festinat, cœcos parit catulos, tanquam immaturos, teste Galeno: qui scribit, τὴν κυνα τυφλὰς τίκτειν τὰς κυνὰς ὑπὸ σπουδῆς. Eadem aliarum rerum est ratio: in quibus vt eximium aliquid

quid sit aut egregium : non solùm labore opus est, verumetiam tempore: sine quo id perfectum esse, & habere maturitatem quandam suam minimè potit, Ex quo recte Horatius:

Hic meret æra liber Sosiis, hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat ævum:
Qui scilicet nonum prelius in annum,
Aut qui exactum decies perfectum ad unguem est.

Nam & Hesiodus scribit, nouem noctes concubuisse Iouem cum Mnemosyna, quoad Musarum prolem susciperet. Et Zeuxes Agatharcho pictori sese iactanti de pingendi celeritate, cùm is diutiùs immoraretur operi: Ego (inquit) diu pingo, quia pinguo æternitati. Quæ autem citò fiunt, citò pereunt. Sed & qui nimiùm properat, seriùs plerunque absoluit: vt vetus habet adagium, quod Plato lib. 7. de Republ. refert: τὸ ταχὺ πάντα διεξιέναι, μᾶλλον βραδύνειν, hoc est, eum, qui festinet omnia celeriter percurrere, magis retardari: perinde vt qui apud Æginetas noctu obambulant, seriùs plerunque iter conficiunt, vt idem scribit Plato, in Cratylo. Et in Dialogo de Regno idem ait, τοὺς μὲν ἐν ἡσύχῳ δρῶντας, ἧττον βραδύτερον, idque eos, qui parum rectè per otium diuidunt, seriùs perficere. Ferè enim accidit his, quod accidere solere Augustinus scribit iis, qui perturbatione aliqua festinant: vt vestem aliquando aut calceos peruersè induant: quæ res postea moram adferat. Sed & in re bellica plus sapiens efficit Fabii cunctatio: quàm M. Manutii præceps temeritas & festinatio, quæ plerunque improuida est & cæca: vt ex T. Liuii historia notum est.

Nam, vt Græcus Senarius habet,

πολλοῖς ἐσὶν αἰτία κακῶν τὸ σπεύδειν.
Multis malorum est causa præcipitantia.

Sic

Sic Tacitus lib. 3. Annal. Multos etiam bonos festinatio pessumdedit: qui spretis, quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio properant. Semper autem in eo, quidquid impense cupimus aut odimus, mora salutaris est. Vnde A. Gellius monet, ad res gerendas simul adhibendam esse, & industriæ celeritatem, & diligentiæ tarditatem. Scitum est enim illud Catonis: Sat citò, si sat bene: Cuius meminit Hieronymus scribens ad Pammachum. Cui respondet Publianum illud:

Deliberare vtilia, mora tutissima est.

Quò etiam pertinet Procopii locus ille ex lib. 2. de bello Persico: Insulsa audacia in exitium ducit, prudens vero cunctatio seruare satis apta est. Et de bello Goth. lib. 1. Rerum gestarum maximæ, non temporis celeritate, sed bonis consiliis dirigi rectiùs solent: Plerumque enim sera dilatio, cùm se demum opportune obtulerit, vtilitatis plurimum adfert; studium vero & nimia properatio, vbi nec decenti, nec suo tempore proferuntur, multis rei conficiendæ spem intercidit. Facilius quippe imparata aliqua multitudo viribus oppugnata hostilibus vincitur: quam qui cũ minoribus copiis, sed alioquin benè instructis, in certamen se conferunt. Et libr. 2. de bello Goth. Quibus salutis spem forte allatura est mora, væcordiæ proculdubio arguentur, si anticipando periclitandoque rerum summam in discrimen deduxerint, hi vero quibus cunctando & prolatando difficilius certamen efficitur, si plusculùm id ad breue extraxerint, huius nimirum moræ potiùs sint incusandi, quam acceleratæ ac subitæ petulantiæ.

Symbo-

Symbolum XXXVI.

FL. IVSTINIANI II.



MVLTI *cùm* NIMIVM *possideant, sibi*
Fermè NEMO SATIS *possidet*: *Omnibus*
Fas fœlicibus est esse: sed haud magis
Quisquam sorte sua scit benè perfrui:
Sic quò dives, eò pauper is est magis.

MAgna est & insatiabilis humanæ mentis cupiditas, qua fit, vt nemo sorte sua contentus sit: sed suæ quemque fortunæ pœniteat: & suam quisque conditionem miserrimam putet: eaque sæpenumerò desideret maximè quibus abundat. Cuius rei causa est diffidentia, ac ingens ille naturæ morbus: quod homo aquatus putat, se non esse Deo curæ. Itaque omnem animi cogitationem atque fiduciam in rebus hisce terrenis & caducis collocat: oculisque in terram defixis, nihil magnum, nihilque diuinum ac cœleste spectat. Et quoniam diuinam bonitatem a-

spec-

spernatur: nec Deum conseruatorem esse hominum statuit: ita diuinitus natura ipsius infida punitur; vt ne suis quidem rebus fruatur: adeoque maximis opibus partis & anxiè cumulatis, nec sibi, nec aliis prosit aut commodet. Quò fit, vt ob morbum hunc naturæ pessimum ac teterrimum, non solùm ipse miser sit, & in magna abundantia egentissimus (quippè qui vt pecuniæ quærendæ nullum modum & finem nouit: ita verum quæsitæ iam pecuniæ vsum nunquã assequitur: frustra per omnem vitam tot curis & laboribus vexatur) verùm etiam cùm aliis omnibus, tùm inprimis suis sit exosus ac inuisus. Et quia nulli commodus, & quia vbique inutilis, & quia communis omnium hostis est, secundum Chrysostomum: sola mors eius grata atque expectata omnibus: maximè verò hæredi, qui bona eius, tanquam vultur cadauer, expectat. Quod prouerbio notum est,

Auarus, nisi cùm moritur, nil recte facit.

Nam, vt Horatius canit,

Non vxor saluum vult hunc, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti pueri atque puellæ.

Neque sane hoc (vt Poëta mox subiicit) cuiquam

Mirandum est, qui cùm argento posti omnia ponat,
Si nemo præstet, quem non mereatur, amorem.

Quanquam haud scio, an vlla sit pœna grauior hominis auari, quàm longa vita. Quod Mimus ille Publianus indicat:

Auaro quid mali optes, nisi vt viuat diu.

Sic nimirum, vt alius vult Mimus,

Auarus ipse miseriæ causa est suæ.

Nam sua sponte & volens miser est: & propriam salutem negligit, teste Chrysostomo: adeoque, secundum Publium,

In nullum auarus bonus est, in se pessimus.

Qui

Quoniam scilicet nulli benefacit: seipsum vero etiam discruciat *misera census custodia*, vt Poëta loquitur:

Qui nummos aurumque recondit, nescius vti
Compositus, metuensque velut contingere sacrum.

Cui non sine causa occinitur Plautinum illud, quod ciui munifico cantari solere ait Lysitiles in Trinummo:

---Quod habes, ne habeas:
Et illud, quod nunc non habes, habeas malum: quandoquidem
Nec tibi bene esse potes pati, nec alteri.

Quam sane miseriam & fatalem auaritiæ pœnam veteres sapientes commento illo egregio de Tantalo, Iouis filio, repræsentare mortalibus voluerunt: quem finxerunt propter vitæ scelera & facinora, quibus opes ille per fas & nefas comparauerat, à diis ad inferos translatum: atque in medio vndarum strepitu murmurantis Cocyti flauui ad mentum vsque immersum, immotumque fuisse constitutum: vt cum aquis propemodum suffocetur: & ante eius ora arbor obuersetur pulcherrima, plenissimaque fructibus odoris suauissimi: ipse tamen, quod tanquam ferrum induratus, omnium membrorum careat ministerio, nec immanissimam leuare sitim, nec famem propellere intolerabilem aliquo modo queat. De quo ita Flaccus:

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina:

Et Naso:

Quæris aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus.

Qui rerum imagine Poëtæ cupiditatis ob oculos nobis posuerunt miseriam: cui morbo, vt Tullius ait, cùm

cum permanat in venas, & inhæret in viſceribus, nec inueteratus euelli poteſt, nomen eſt auaritia. (Nam, ſecundum Auguſtinum, cupiditas & auaritia in tantum vnum ſunt malum: vt nec auaritia ſine cupiditate, nec cupiditas ſine auaritia poſſit inueniri) quæ ita mentes hominum obſtrictas tenet: vt eas nullo vnquam tempore reſpirare permittat. Quippè cuius nunquam expletur, nec ſatiatur ſitis: neque ſolùm ea, qui habent, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu: vt in Paradoxis ſcribit Cicero. Semper enim, vt Iuuenalis canit,

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit:

Et, vt Flaccus:

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Maiorumque fames opum.

Vnde à Diogene recte comparatur cum aqua intercute: cui, ſecundum Ouidium,

Quò plus ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

Quemadmodum enim, teſte Horatio,

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit: niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor:

Ita cupiditas inſatiabilis eſt, & immenſa incredibiliaque poteſt: vereque eſt, vt Seneca dixit, ignis inextinguibilis: neque vlla copia vnquam aut præda improbe parta minuitur: ſed augetur potius atque inflammatur: quippe quæ, vt Valerius Maximus ſcribit, latentium indagatrix lucrorum: manifeſtæ prædæ auidiſſima propago: nec habendi fructu fœlix, & cupiditate quærendi ſemper eſt miſerrima. O Aurum (libet enim Conſtantini Manaſſis verbis vti) tyranne crudelis: hominum perſecutor audaciſſime: arx malorum omnium, caſtellum perniciei: vaſtator vr-

bium: propugnaculorum euersor: murorum dilaceratorr: oppidorum expugnator: ædium successor: quibus & qualibus malis mortalibus diuexas? Nulla res in hominum vita tecum in certamen descédere potest: nulla res terrena tecum potest in comparationem venire: durum emollis, molle indurás; linguam mutata soluis, loquacem comprimis: currendo valentem tardum efficis, ac vicissim de tardo volucrem: corda inflammas, & voluptate quadam demulces: sensus illecebris ineuitabilibus, ceu præstigiis quibusdam excantas: cùm interim venustas illa tua non minùs veneno suo, quàm vipera, noceat: leges & iura proculcas: verecundiam & pudorem abigis: sepulchra violas: parietes perforas: nihil non habes venale, nihil non prodis. Nimirum fluuolum quiddam est, ac fabula mera, vulgò quod dicitur, adamantem solum sanguine mollir. Quid enim esse te possit efficacius, etiam in saxis molliendis? &c. Neque verò secura cuiquam potest contingere vita, qui de re augenda nimis cogitat, vt Seneca ait: aut, vt Flaccus, qui

Semper in augenda festinat & obruitur re.

Sic nimirum, secundum Publium,

Infructa inopia est, in diuitiis copia,

hoc est, diues inopia, vel potius inops copia. Nam, vt vetus habet Poëta,

Auarus animus nullo satiatur lucro:

Et, vt Flaccus, *Semper auarus eget*: aut, vt Claudianus, *Semper inops quicunque cupit.* Quippè qui semper cogitat Poëtæ illud: *Quid refert, quantum habeas? multo illud plus est, quod non habes.* Quod ipsum quoque confirmat M. Tullius Cicero in Paradoxis: Improbi (inquit) & auari, quoniam incertas atque in casu positas possessiones habent: & plus semper appetunt,

nec

nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui, quod haberet, esset satis: non modò non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt. Et Seneca: Maximæ diuitiæ, non desiderare diuitias: maxima egestas, auaritia. Sic alienarum rerum hominibus cupiditas, suarum satietas est, vt Plinius scribit; &, vt Publius,

Alienum nobis, nostrum plus aliis placet:

seu, vt Seneca, nulli ad aliena respicienti, sua placet: adeoque, secundum Comicum, *nostri nosmet pœnitet*: &, secundum Flaccum,

Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.

Quò fit, vt omnia, tanquam mortales, timeamus: & omnia, tanquam immortales concupiscamus, teste Seneca: immò vt non solùm concupiscamus ea, quæ non habemus, sed & quæ habemus, secundum Augustinum. Nam, secundum Publium,

Tam deest auaro, quod habet, quàm quod non habet.

Si quidem is non magis vtitur suis, quam alienis: vtrisq; igitur ex æquo caret. Sic multis eget, qui multa habet, sic magna indigentia nascitur, non ex inopia magna, sed ex copia: vt satius sit, minus habere, quò minus desit, vt est apud Gellium. Scitum est igitur Martialis illud:

FORTVNA NIMIS MVLTIS DAT SATIS NVLLI:

Ex quo Symbolum hoc sumptum esse apparet. Nã, vt Flaccus canit: *Bona pars hominum, decepta cupidine falsa,* NIL SATIS EST, *inquit.* Et, vt Mimus habet:

Inopiæ pauca desunt, auaritiæ omnia.

Adeoque, teste Curtio, insatiabilis auaritiæ est, adhuc implere velle, quod iam circumfluit. Quanquã enim multis pauper opus habet, quæ sunt ad vitam

necessaria: magis tamen eget auarus, qui nec id habet, quod habet, & ante, quàm lucretur, seipsum perdit, & ante, quàm capiat aliquid, ipse capitur, secundum Augustinum: vt iam possideri magis, quàm possidere, videatur is, quem eiusmodi inuasit habendi cupiditas: teste Plinio. Neque enim est in carendo difficultas, nisi cùm fuerit in habendo cupiditas: vt Augustinus loquitur. Nam, vt est apud Poëtam:

Quod vult, habet, qui velle, quod satis est, potest:
Cui conuenit cum paupertate, diues est.

Magnæ enim sunt diuitiæ, lege naturæ composita paupertas. Si enim ad naturam viues, nunquam eris pauper: sin ad opinionem, nunquam diues. Exiguum natura desiderat, immensum opinio, vt præclare docet Seneca. At verò opus solius paupertatis causa declinandæ expetit auarus, qua in omni vita nihil magis metuit, qui, secundum Satyricum:

Non propter vitam facit hic patrimonia stultus:
Sed vitio cæcus propter patrimonia viuit.

Quando, auctore Horatio:

Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet vti.

Imò *cui pœna est*, vt Cornel. Gallus scribit, *partis incumbere rebus*,

Quas, cùm possideat, sit violare nefas.

An verò non *hic furor est*, &, vt Iuuenalis ait, *manifesta phrenesis*,

Vt locuples moriaris, egenti viuere fato?

Nam, vt apud eundem legitur Satyricum:

Plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia census.

Quod Theognis etiam testatur:

πολλοῦ τοι πλέονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἤδη
ἄνδρας, ὅσοι μοίρης πλεῦν' ἐθέλουσιν ἔχειν:

Plures iam satias hic, quam fames improba perdit,

Contentos

Contentos nunquam viuere sorte sua.

Maxime verò vituperanda est cupiditas illa in magistratu, quandoquidem, teste Cicerone, nullum est vitium tetrius, quàm auaritia: præsertim in principibus & Rempublicam gubernantibus. & quidem in Imperatore auaritia est acerbissimum malum: quoniam habere quæstui Rempublicam, non modò turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium. Plane enim secundum Curtium, auaritiæ nihil nefas est: Neque vllum officium tàm sanctum est & solenne, quod nõ auaritia comminuere atque violare soleat, quæ sola (vt in veteri oraculo est apud Suidam) perdit Spartã, non ornat: & non modò singulos homines, sed vniuersas familias euertit: adeoque totam labefactat Rempublicam. Siquidem ex cupiditatibus odia, dissidia, bella, dissensiones nascuntur: nec tantùm in alios cœco impetu incurrunt, sed intus etiam animis incluſæ inter se dissident atque discordant: hinc furta, rapinæ, sacrilegia: hinc proditiones, cædes, latrocinia: hinc falsa testamenta, aut testamentorum subiectiones: hinc denique omnis humani & diuini iuris violatio existit. Auarus enim nunquàm iustus est, vt vetus habet prouerbium: quia ab alieno non abstinet, & propter auiditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putat, cui ne honestus quidem esse potest vllus. Quippe qui, vt Cic. ait, quotidie aut fraudat, decipit, poscit, paciscitur, aufert, eripit: aut socios spoliat, ærarium expilat, aut testamenta amicorum expectat, aut ne expectat quidem, atq; ipse supponit, aut aliud quippiam agit, vt ostendat sibi quæsito opus esse. Sic Sallustius in Catilinam: Auaritia (inquit) fidem, probitatem, cæterasque artes bonas subuertit: pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit: Et idem in

fragm. histor. Auaritia bellica, fera, immanis, intoleranda est: quo intendit, oppida, agros, fana atque domos vastat: diuina cum humanis permiscet: neque exercitus, neque mœnia obstant, quò minùs vi sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales spoliat. Vnde Phocylides recte auaritiam nominat matrem omnis improbitatis, & Democritus μητρόπολιν, id est, arcem omnium malorum. Quemadmodum & Paulus Apostolus eã vocat omnium malorum radicem: & Chrysostomus fomitem omnis iniustitiæ, & Augustinus fontem malæ patientiæ. Sed & Apostolus alias auaritiam nominat idololatriam, quod secundum Augustinũ, tantò minus quisque adhæreat Deo, quantò magis diligit proprium. Quandoquidem, vt Gregorius ait, bonorum auctori Deo aliter inhærere nõ potest homo, nisi cupiditatem, quæ omnium malorum radix est, à se abscindat. Quod enim vnusquisque cupit & veneratur, hoc illi Deus est, teste Hieronymo: quò fit, vt auari Deus sit nummus, secundum Anselmum, qui corpus suum prostituit Satanæ, & multa cupiditate ebrius est, vt Chrysostomus scribit. Mens autem cupida nec abstinere scit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum, auctore Leone Papa. Sic Innocentius in libro de vtilitate conditionis humanæ: Radix (inquit) malorum est cupiditas, hæc sacrilegia committit, furta & rapinas exercet & prædas, bella gerit & homicidia, simoniacè vendit ac emit, iniquè petit & recipit, iniustè negotiatur & fœneratur, instat dolis, imminet fraudibus, dissoluit pactum, violat iuramentum, corrumpit testimonium, peruertit iudicium: denique ad omne impellit maleficium. Et Petrus Rauennas: Omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra

magistra nocendi, primipila iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fouea scandalorum. Et Pontanus lib. 4. histor. Maximè fœdum atque detestabile animorum malum auaritia est, vt quæ sacra profanaque in æquo ponat: rapiēdi licentiam summum ius ducat, nullum Dei metum, nullum honesti respectum habeat, id demū decere fasque esse existimans, parte quauis abundare plurimū. Quò etiam Liuii pertinet illud dictum: Auaritia & luxuria omnia imperia euertit. Et Valerii Maximi hoc: Ea domus, ea ciuitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit, vbi minimum Veneris pecuniæque cupido sibi vindicarit. Et Antisthenis istud: Auarus nemo bonus, nec rex, nec liber esse potest: aut, vt Græca verba sonant, φιλάργυρος οὐδεὶς ἀγαθός, οὔτε βασιλεύς, οὔτε ἐλεύθερος. Recte igitur Mimus:

Effugere cupiditatem, regnum est vincere.

Neque enim parum est, quod satis, & nunquam multum, quod satis non est, vt Seneca scribit in Epistolis. Neque pecunia facit diuitem, sed animus. Nam animus hominis diues, secundum Tullium, non arca appellari solet, quamuis illa plena sit, dum inanis homo est, nunquam diues futurus est, siquidem ex eo, quantum cuique sat est, metiuntur homines diuitiarum modum: μέτρον γὰρ τῆς κτήσεως τὸ σῶμα, secundum Epictetum. Etenim diuitiarum fructus in copia: copiam autem declarat satietas rerum atque abundantia, quam qui assequitur (id est, cui tanta possessio est, auctore Tullio, vt ea ad liberaliter viuendum facile contentus sit, qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius) is vere dicitur diues, quia sapiēs est, solus autem sapiens diues, vt Stoicis placet. Sic Horatius:

Quod satis est, cui contingit, nihil amplius optet.

Et Publius.

In minimo eget mortalis, qui minimum cupit.

Et Bias apud Ausonium.

Quis diues? qui nil cupiat: quis pauper? auarus.

Sic & Martialis:

Quod sis, esse velis, nihilque malis.

Et Accius Poëta vetus in Persidis:

Satis est, quem cuique tribuit fortuna ordinem.

Et notum est Plautinum illud:

Quicquid est domi, id sat est habendum.

ἴση γὰρ ἡ χάρις μεγάλοισι χαίρειν, σμικρά θ' ἡδέως ἔχειν:

Paruis frui, magnisque par voluptas est:

vt est apud Euripidem in Ione. Et, secundum Sophoclem,

πάντων ἄριστον, μὴ βιάζεσθαι θεούς,
στέργειν δὲ μοῖραν:

Pugnare nolle diis & sorte viuere
Quemuis sua contentum, est omnium optimum.

τὰ δὲ δρῶντ' ἱκανὰ τοῖς γε σώφροσιν:

Quod est satis, facile modesto sufficit:

vt Iocasta ait in Phœnissis Euripidis. Magnus verò est quæstus pietas cum animo sua sorte contento, vt vere omnino & diuine docet Apostolus, cum ait: μέγας ἐστὶ πορισμὸς ἡ εὐσέβεια μετ' αὐταρκείας. Et vt Seneca, breuissima ad diuitias, per contemptum diuitiarum, via est. Et Cato Romanus:

Commoda naturæ nullo tibi tempore deerunt:
Si contentus eo fueris, quod postulat vsus.

Et augustinus: Beatus, non qui, quæ cupit, habêt: sed qui, quæ non habet, non cupit. Sic igitur nemo diues est, nisi qui est sua sorte contentus: nemo etiam beatus, nisi qui is vult esse, qui est, hoc est, qui in suis rebus acquiescit, eaque boni consulit, quæ mutare non potest. Pulchre enim Cicero in Paradoxis:

Non

Non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est: contentum vero suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque diuitiæ. Et in Officiis: Quod cuique obtigerit, id quisque teneat, eo si quis plus appetet, violabit ius humanæ societatis. Et Seneca: Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Contrà autem, omnia nimium habet, qui nihil concupiscit, teste Valerio Maximo. Sic Lucretius:

Diuitiæ grandes homini sunt, viuere parcè
Æquo animo: neque enim est vnquam penuria parui.

Et Horatius:

Quanto quisque sibi plura negauerit,
A Diis plura feret.

Et alibi;

Multa petentibus
Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Quò etiam referatur sententia hæc Sotadis apud Stobæum:

ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται·
ὁ μέσος δὲ βίος κεκραμένος, δίκαιός ἐστιν:
αὐτάρκεια γὰρ πρὸς πᾶσιν ἡδονὴ δικαία:

Pauperem misericordia, diuitem sequitur inuidia: vita autem media & temperata iusta est: nam frugalitas & suis rebus contenta virtus voluptatem omnibus iustam parit.

Symbolum XXXVII.

FL. LEONIS IV. QVIET LEONITVS.

PVLCHRA EST CONCORDIA CORDIS ET ORIS.

[Golz. Oris atque cordis harmonia pulcherrima.]

Quàm PVLCHRA EST LINGVAE ET CORDIS CONCORDIA! *quando Os loquitur, quod cor sentit; vtrumque bene.*

Si COR ET OS, *si mens & vox, si oratio concors, Et ratio est, ecqua est suauior harmonia?*

PYthagoricum commentum est omnibus notum de Musica & harmonia cœlesti, cuius tanta sit vis & iucunditas, vt cœlos etiam aperiat. De qua P. Corn. Scipio Africanus Minor in Somnio suo apud M. Tullium Ciceronem sic loquitur: Quis est ille, qui complet aures meas tantus & tàm dulcis sonus? Hic est nimirum ille, qui interuallis coniunctus imparibus;

paribus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu & motu ipsorum orbium efficitur, & acuta cũ grauibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt, & natura fert, vt extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acutè sonent. Quam ob causam summus ille cœli stelliferi cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto & excitato mouetur sono: grauissimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra nona immobilis manens, ima sede semper hæret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus vis eadem est duorum, Mercurii & Veneris, septem efficiunt distinctis intervallis sonos, qui numerus rerum omnium fere nodus est. Quod docti homines neruis imitati atque cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum, sicut alii, qui præstantibus ingeniis in vita humana, diuina studia coluerunt. Hoc sonitu oppletæ aures obsurduerunt, nec est vllus hebetior sensus in vobis, sicut vbi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, ea gens, quæ illum locum incolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic verò tantus est totius mundi incitatissima conuersione sonitus, vt eum aures hominum capere non possint, sicut intueri solem nequitis aduersum, eiusque radiis acies vestra sensusq; vincitur. Hæc ille. Sic & Plato in Republica sua, cùm de orbium cœlestium motu agit, singulas dicit Sirenas singulis orbibus insidere: vel, vt alii volunt, Musas: quæ mundi cantus sunt: vnde Camœnæ à canendo cognominatæ, sicut & Sirenes, quasi Deo canentes, teste Macrobio. Qua in sententia priscos etiam Ecclesiæ doctores quosdam fuisse constat, qui cœlestium illam corporum harmoniam statuerunt, cõmoti

moti auctoritate Iobi, q sic ait: Quis enarrabit cœlorum rationem? & concentum cœli quis cohibebit? Sed nullus est profectò, vt prouerbio dicitur, occultæ Musicæ respectus: *Neque*, vt Nasoni videtur, *ignota gloria magna lyræ*: quod & Lucianus in Harmonide testatur: οὐδὲν (inquit) ὄφελος ἀπορρήτου φασὶ τὰ ἀφανοῦς μουσικῆς: quod A. Gellius interpretatur, egregiã Musicam, quæ sit abscondita, nullius rei esse aut momenti. Placet itaque alia nobis Musica, quæ in Symbolo est expressa. Quænam vero illa? Nimirum, CORDIS ET ORIS, MENTIS ET LINGVAE, RATIONIS ET ORATIONIS HARMONIA longe SVAVISSIMA: quæ quidem aliàs VERITAS, alias FIDES, alias ELOQVENTIA nominatur. Quæ cum auribus audientium representatur, concentum edit longe suauissimum, qui magis intelligi à nobis potest, quàm cœlestis machinæ nunquam fortassis audita, sed à Pythagoricis & Platonicis tradita harmonia. Etenim quæ suauior esse potest harmonia, quàm VERITAS? quæ nihil aliud est, quàm cordis & oris consensio, & quasi concordia, cum nimirum os loquitur, quod cor sentit, absque omni simulatione, & calumnia, quo nihil esse potest gratius aut iucundius. Vnde & Plato: ἥδιστον (inquit) τῶν ἀκουσμάτων ἡ ἀλήθεια: Suauissima narrationum est veritas. Et Polemon: πολὺ ἥδιον ἐστιν τοῦ ἀκούειν, τὸ λέγειν τἀληθῆ: Multo suauius est vera dicere, quàm audire, Lactantius verò: Nullus (inquit) suauior est cibus, quàm cognitio veritatis. Et Augustinus: Contemplatio veritatis, rerum omnium iucundissima est. Sic & Cicero veri inquisitionem & quasi inuestigationẽ hominis propriam esse dicit: cum secundum Augustinum, nemo reuera amicus hominis esse possit, nisi prius fuerit ipsius veritatis, cuius doctor est solus

Deus,

Deus, eodem Augustino auctore : magistra autem natura, teste Ambrosio, quæ lex est artium omnium & mater sanctitatis, vt Chrysostomus docet, seu, vt Hippocrates, mater virtutis : aut, vt Halicarnassæus prudentiæ & sapientiæ initium: & duas habet comites, sapientiam & constantiam, vt scribit Augustinus. Quæ quidem virtus eò gratior est, quò diuinior & Deo conuenientior, qui est ipsa veritas, quique, secundum Apostolum, mentiri non potest : ὁ γὰρ ἐπίστατται ψεύδηγορεῖν στόμα τὸ θεῖον, ἀλλὰ πᾶν ἔπος τελεῖν : Mentiri nescit os diuinum, sed omne verbum perficere, vt est apud Æschylum in Prometheo. Quippe cuius verbum est, vt Homerus loquitur, ἐπὶ πτερόεν βεβὼς, ἐπὶ πτερὸν, ἐπὶ ἀπτερὸν, ἐπὶ ἀπελεύθερον. Ex quo Mercurius Trismegistus recte concludit : ὅτι ἡ ἀλήθεια κάλλιστον, ὡς ἡ σοφία θεοῖς τὰ πρῶτα μέγιστον, quod veritas sit res omnium pulcherrima, & quod inter deos etiam maximi fiat. Et Pindaro θυγάτηρ ἀλάθεια Διός, filia Iouis veritas nominatur in Olympiis, vt & Olympiadi, θεῶν ὁμόπολις, μάνα θεοῖς συνδιαιτωμένα, cœli ciuis, sola contubernalis deorum. Sed & Magi maximum deorum, quem Oromasdam vocant, corpore quidem asserunt luci esse similem, animo autem veritati. Pythagoras vero nihil magis Deo similem facere hominem affirmat, quam studium veritatis: Quæ, vt, secundum Menandrum, πάντων χρῆμα δικαιότατον, res omnium iustissima : ita, secundum Platonem, omnium bonorum fons & causa est. Sic enim ait lib. 5. de leg. ἡ ἀλήθεια πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δ' ἀνθρώποις : ἧς ὁ μὴ κοινωνήσας μέλλων μακάριος τε καὶ εὐδαίμων, ἐξ ἀρχῆς οὐδὲς μέτοχος εἶη : ἵνα ὡς ἐπὶ πλεῖστον χρόνον ἀληθὴς ὢν ἀφθείρηται : Veritas tùm diis, tùm hominibus dux omnium bonorum est, cuius statim ab initio particeps esse debet, qui fœlix beatusque futurus est,

vt in

vt in veritate maximum vitæ tempus transigat. Et paulò pòst: ἡγουμένης τῆς ἀληθείας, οὐκ ἄν ποτε οἶμαι φαμὲν αὐτῇ χορὸν κακῶν ἀκολουθῆσαι: veritate duce nunquam, vt opinor, malorum consequi chorum dicemus. Pulchre etiam Augustinus: Non aliam putes esse sapientiam, nisi veritatem: in qua tenetur & cernitur summum bonum. Nullo loco ea abest: nusquam deest, foris admonet, intus docet, in se omnes in melius commutat, à nullo in deterius commutatur: nullus de illa iudicat, nullus sine ea bene iudicat. Ea verò summum & maximum ornamentũ est principis, qui veritatem in omnibus sibi propositam habere debet, eamque solam intueri, & ad hanc, veluti ad Lydium lapidem, omne suum iudicium & imperium accommodare, quippe in qua omnis eius virtus & sapientia sita est, λυδία μὲν γὰρ λίθος μανύει χρυσὸν: ἀνδρῶν δ' ἀρετὰ, σοφία τε παγκρατὴς τελέθει ἀλήθεια: teste Bacchylide. Et, secundum Apollonium, τὸ ψεύδεσθαι, ἀνελεύθερον: ἀλήθεια, γενναῖον: mendacium illiberale, veritas generosa est Quod olim Ægyptii sacerdotes principem suum, quem omnium optimum atque æquissimum esse oportebat, monere voluerunt, Saphiro gemma, quæ veritatis nomine nuncupatur, de collo ipsius suspensa. Quo gestamine insignem prædicant iudicem illum, quem in Simandii monumentis fuisse tradunt, cuius à collo suspensa veritas penderet, oculis in sinum deiectis, octo libris legum circumstantibus, quo monere voluerunt, integros esse debere iudices, & veritatis studiosos. Quemadmodum & Salomonis dicto monemur, veritatem gutturi circumdare, & in Leuitico, vbi de Pontificis ornatu agitur, veritatis signum in pectus incumbere. Neque verò minor est suauitas & jucunditas harmoniæ eius, quam FIDES efficit, quæ & ipsa est mentis

& lin-

& linguæ idem quasi concentus & sonus, quæque, vt Cicero ait, dictorum conuentorumque constantia est & veritas: & ex eo sic nominata, quia fiat id, quod dictum est: adeoque fundamentum iustitiæ, & omnium contractuum, commerciorum, fœderum, pactorum, omnis denique amicitiæ societatisque vinculum est. Vnde & à Liuio maximum vinculum bonis amicis fides appellatur, qua nisi stet Respublica, opibus ea stare nullo modo queat. Quemadmodum & Cato maximum telum vocat fidem, ex quo plures pace susceptæ, quàm bello gentes fuerint deuictæ. Pulchrè Xenophon de Agesilai laudibus: Magna (inquit) & perpulchra res est, cùm aliis omnibus, tùm viro principi, fas fidemque seruare, & se talem esse cognosci. Nam &, teste Liuio, fidei abrogatione omnis humana societas tollitur. Nec enim vlla res vehementius Rempublicam continet, quàm fides, vt testis est Cicero. Sicut & nulla res vehementius dissipat Rempublicam, quàm perfidia, non solùm in contractibus, sed etiam in amicitiis & arcanis committendis. Sublata siquidem fide, iustitia nulla esse potest, quæ fidei tanquam firmo fundamento innititur: vnde etiam à Flacco nominatur *Iustitiæ soror incorrupta Fides.* Qui igitur fidem violat, is iustitiam violat: & qui iustitiam violat, is violat fidem, quam in Capitolio vicinam Iouis Opt. Max. Romani esse voluerunt, ab Attilio Calatino olim consecratam, auctore Tullio: licet Sex. Pompeius etiam ante Romulum consecratam prodat, ab Ænea in Palatio: Dionysius verò Halicarnassæus à Numa primum Fidei publicæ templum erectum: & sacrificia ei publico sumptu constituta fuisse affirmat, cui suffragatur Plutarchus. De qua Silius libro Punicorum secundo ita scribit:

Ante

Ante Iouem genera̅ta, decus diuumque hominumque,
Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt,
Iustitiæ consors, tacitumque in pectore numen,

& reliqua. Sed & longe suauissima est Musica ipsius ELOQVENTIAE, quæ bonarum artium princeps, vt vult Tacitus, eademque rationis & orationis est symphonia quædam & concordia: &, secundum Ciceronem, nihil aliud est, quàm copiosè loquens sapientia, quarum connexio & consensio omninò necessaria est, quemadmodum & Aristoteles prudentiam cum eloquentia coniunxit: & Stoici eloquentiam virtutem ac sapientiam esse dixerunt. Nam & sapientia sine eloquētia parum prodest ciuitatibus, & eloquentia sine sapientia nimiū obest: plurimumque sæpe nocuit, prodest nunquam, eodem Ciceronе auctore. Male enim sine moribus discitur eloquentia, teste Plinio Secundo, in qua sunt incunabula virtutum, secundùm Sallustium. Nihil verò est tàm inhumanum, quàm eloquentiam à natura ad salutem hominum, & ad conseruationem datam ad bonorum pestem perniciemque conuertere. Quod enim in poculo aureo venenum, hoc in prauo ingenio est eloquentia, vt Augustinus dixit. Qui verò ita se armat eloquentia, non vt oppugnet commoda patriæ, sed vt pro his pugnare possit, is mihi videtur suis & publicis rationibus vtilissimus atque amicissimus ciuis, vt præclarum sane mihi is adeptus videatur, qui qua re homines bestiis præstant, ea in re hominibus ipsis antecellat. Quis enim cantus moderatæ orationis pronunciatione dulcior inueniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? qui actor in imitando, quàm orator in suscipienda veritate iucundior? Quid autem subtilius, quam acutæ crebræque sententiæ? quid admirabilius,

lius, quam res splendore illustratæ verborum? quid plenius, quàm omni rerũ genere cumulata oratio? Sic nihil est profectò, vt Tullius ait, eloquentia laudabilius & præstabilius, vel admiratione audientiũ, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia? quæ verè est, vt docet Tullius, domina rerum, & pacis comes otiique socia, & Reipublicæ quædam quasi alumna & nutrix, quæ nec absque veritate, nec absque fide esse potest, teste Platone. Plane enim id quod iustum est, si oratione recte exprimatur, inuictum fit, auctore Tullio. Quo ipso maior adhuc, & concinnior efficitur suauitas atque voluptas Musicę illius admirabilis ac pene diuinæ, cum sibi consonãt & inter se concordant VERITAS, FIDES, ELOQVENTIA: ex quo efficitur oratio non modò prudens & diserta, sed etiam vera & sincera, grandis verbis, sapiens sententiis, genere toto grauis, qua nihil esse potest admirabilius aut diuinius. Magna enim est admiratio copiosę sapienterque dicentis, quem qui audiunt, intelligere etiam, & sapere plus, quam cæteros, arbitrantur. Sic ORATIO RATIONIS quoddam flumẽ est, vt Philosophis placet, qui aiunt, τὸν λόγον ῥεῦμα εἶναι τῆς λογισμοῦ. Quò fit, vt sapiens eius oratio esse non possit, qui animo non sapit, &, vt Poëta ait, *dat sine mente sonum*: quoniam vti oratione recte non potest. Societatis autem humanæ vinculum est Ratio & Oratio, quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homines, coniungitque naturali quadam societate, eosque a ferarum natura discriminat, teste Tullio in Officiis. Quare cùm oratio sit index animi, & vinculum societatis, cuius interpres, atq; ministra est oratio ex ratione orta: facile hinc constat, quantum scelus sit mendacium, & insidiosa simula-

tio atque dissimulatio, & quantopere naturæ ea repugnet, quæ sermonem nuntium humanarum cogitationum esse voluit, quæque vi rationis hominē conciliauit homini, & ad orationis & ad vitæ societatem, cum quod verum, simplex, sincerumque est, id naturæ hominis sit aptissimum. Præclarè enim Isocrates in Nicocle: λόγος ἀληθὴς καὶ νόμιμος, καὶ δίκαιος, ψυχῆς ἀγαθῆς, καὶ πιστῆς εἴδωλόν ἐστιν: Oratio vera & legitima & æqua, honesti ac fidelis animi simulachrum est. Superest adhuc vna Musica, quæ harmoniæ suauitate non cedit reliquis, nimirum VIRTVS, quæ est RATIONIS ET APPETITVS consensio quædam, & fiducia concors, ex qua nihil, nisi quod est cum laude & honore & dignitate coniunctum, proficiscitur. Duplex enim, vt M. Cicero scribit in Officiis, animorum vis est atque natura, vna pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμὴ Græcè, quæ hominē hùc & illùc rapit: altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, vt RATIO PRAESIT, APPETITVS OBTEMPERET, ex quo elucet omnis constantia, omnisq; moderatio, quæ VIRTVS nominatur, quæ effectrix est, veræ voluptatis, & fœlicitatis perfectæ. Vt enim ciuitas in discordia non potest esse beata, nec in discordia dominorum, domus, sic animus à seipso discedens, secumque discordans, nullam gustare partem liquidæ voluptatis ac liberæ potest, vt docet Cicero lib. 1. de Finib. Sic & Plato animæ tres partes (quas Galenus libro octauo de Platonis & Hippocratis decretis principia vocat) τὸ λογιστικὸν, θυμοειδὲς, καὶ ἐπιθυμητικὸν, cum tribus præcipuis chordis citharæ, singulari prudentia comparat. Quemadmodum enim hæ licet proportione inter se dissidentes sint, nihilominus iuxta Pythagoræ inuentum, quo ὑπάτη ad

μέσην

μέσων διὰ τεσσάρων, & hæc ad νήτην refertur διὰ πέντε, tandem extremæ duæ νήτη ὑπατῶν διὰ πασῶν constituentes, suauissimum concentum efficiunt: ita si tres animæ functiones corporis partibus attributæ inter se amicè consentiant, hoc est, si irascendi vis, quæ in corde sedem habet, & appetendi, quæ iecori tribuitur, obediat rationi, quæ quod dux & imperatrix sit, vel potius esse debeat, τὸ ἡγεμονικὸν appellatur, longè suauissima & iucundissima harmonia efficitur, quæ est virtus. Nam vt vox infima & grauissima, quæ ὑπάτη est, certa est & regit cæteras: sic rationis iudicium certum est, cui cùm paret μέση, quæ motus & affectus cordis significat, & νήτη, quæ est octaua, & quàm longissime abest à ratione, & appetitiones voluptatum in cibo & potu denotat: tunc nimirum harmonia virium in homine constat, quam Plato primam iustitiam, & primam virtutem nominat, ex qua omnes bonæ actiones & affectiones oriuntur. Etenim cùm ratio sana imperat, necvel iracundia, vel cupiditate aliqua turbatur, existit prudentia & sapientia, cùm irascendi vis rationē sequtur ducem, oritur fortitudo & magnitudo animi, cùm appetitus rationem audit, modestiam parit & temperantiam: cùm denique hæc tria, RATIO, IRA, CVPIDITAS inter se consentiunt, ex illis omnibus conflatur Iustitia, Lucifero & Hespero pulchrior. Quo si accedit etiam SAPIENTIA, quæ omnium rerum diuinarum & humanarum est scientia, à qua non excludi debet ELOQVENTIA, quæ sermonis est prudentia, & concinnitas, sicut nec PIETAS & RELIGIO, quæ fundamentum est omnium virtutum, qua sublata, fides etiam, & societas generis humani, & vnà excellentissima virtus iustitia tollatur necesse est, si igitur hæc omnia, quæ dixi, inter se concordant:

tunc perfecta est harmonia, & ἐναρμόνιον ἄρμα, vt Homerus vocat, cuius suauitatem sentire licet, verbis consequi non licet. Hæc nimirum est ἐπτάχορδος illa lyra, qua harmonia cœlestis septem distinctis interuallis, vt supra dictum est, conficitur, quam Mercurius auctor, qui διὸς νοῦς, Iouis mens, à Philosophis dictus est, septem chordis ornauit, quæ sunt artes liberales, quibus Musæ nouem præsident, tanquam Sirenes, sed Pietate, Virtute, Sapientia vbique duce & moderatrice, quæ inter se iunctæ, reditum, vt Scipio dixit, in cœlestem locum, vel, vt Poëtæ fabulantur, in campum Elysium, quem ad imitationem Paradisi confinxerunt, aperiunt, in quo sunt viri fortes & boni: &, secundum Maronem,

——— ob patriam pugnando vulnera passi:
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, & Phœbo digna locuti,
Inuentas aut qui vitam excoluere per artes:
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his niueæ cinguntur tempora vittæ.

Symbolum XXXIIX.

FL. TIBERII ABSIMARI.

NIMIVM

BONI,

NIHIL

MALI.



[Golz. Miseriam nescire suam, sine periculo est viuere.]

Si cui sensus abest mali,
Nil huic esse mali puta.
Nam cur non NIMIVM BONI
Sit huic, cui NIHIL *est* MALI?
Cui non est male, huic bene est.

QVicquid in rerum natura est, qualecunque hoc est, *nihil est*, vt Poëta ait, *ab omni parte beatum.* Quandoquidem hæc ipsa infœlicitas est, vt ita loquar, in fœlicitate, quod nunquam ea sincera est, aut perfecta, aut perpetua. Mortalium enim nemo fœlix est, & secundum Euripidem,

οὐκ ἐστὶν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ:
Beatus omni ex parte nullus vspiam.

Nam, vt Theognis ait: ἄλλῳ ἄλλο κακὸν: τὸ δ' ἀτρεκὲς ὄλβιος οὐδεὶς ἀνθρώπων: alius alio malo premitur: reuera

autem nemo ex omni parte fœlix & beatus est. Sic Euripides in Auge: οὐδεὶς (inquit) διατέλους εὐδαιμονεῖ: nemo perfecte beatus est: Et in Hercule furente:

οὔτις γε θνητῶν ταῖς ψυχαῖς ἀκήρατος,
οὐθεῶν:

Mortalium fortunis nemo illæsus est,
Nemo deûm.

Quinimò potius, secundum Bathonem:

τέρας ἐστὶν εἴ τις εὐτύχηκε διὰ βίου ἐν τῷ βίῳ:

Monstrum est, homo in vita fœlix per omnia.

Nam & verum est Euripideum illud in Medea:

θνητὸς μὲν οὐδεὶς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ:
ὄλβου δ' ἐπιῤῥύεντος, εὐτυχέστερος
ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ:

Certe beatus nullus est, mortalium:
Vt affluunt res, ille fortunatior
Illo putetur: haud beatus sit tamen.

Vnde Sophocles quoque scribit, ἐν διὸς κήποις ἀρούσαν μόνον εὐδαίμονας ὄλβους: in hortis tantum Iouis beatã coli fœlicitatem. Nulla enim res longa mortalium est, omnisque fœlicitas seculi, dum tenetur, amittitur, vt D. Hieronymus loquitur. Quanquam igitur nemo mortalium fœlix est: tamen abunde atque indulgenter fortuna decidit cum eo, qui iure dici infœlix non potest, teste C. Plinio Secundo. Neque enim est calamitatis loco numeranda parum plena fœlicitas, sicut è diuerso tristis est mensura calamitatum, nimis magna fœlicitas, quoniam difficilis est fœlicibus miseriarum vera æstimatio, auctore Fab. Quintiliano. Itaque, secundum Poëtam:

Fœlix videtur, qui mala ignorat sua.

Et cui sensus abest mali, nihil est mali, quoniam, secundum Publium:

Miseriam nescire, sine periculo est viuere;

Et se-

Et secundum Senecam: Remedii pars est, non sentire malum. Quippe, vt Ouidius canit,

Qui sua metitur pondera, ferre potest.

Nam &, vt idem ait Publius:

Bene dormit, qui non sentit, quàm male dormiat.

Fit enim sæpenumero, vt in optimo lecto pessime dormiatur: contra autem si quis alto somno obrutus sit, lecti aut strati incommoditatem non sentiat. Si quò maior est fortuna, eò minus est secura, secundum Aristotelem. Siquidem omnia etiam fœlicibus sunt dubia, teste Seneca, & non tantùm non fœlicia, quia dubia, sed etiam insidiosa, quia dulcia, vt Lactantius notat. Et quoniam, secundum Senecam, res inquieta est fœlicitas: idcircò is maiore anxietate cruciatur, qui se maxime cupit esse fœlicem, vt est apud Diogenem Laërtium. Scite igitur Sophocles in Mysis:

ἄμοχθος μὲν οὐδεὶς, ὅ δ' ἥκιστα ἔχων μακάρτατος:

Nemo laboris expers: fœlicissimus

Is est, laboris cui minimum sic obtigit.

Cui respondet Symbolum istud sumptum, vt opinor, ex M. Tullio Cicerone, qui libro 2. de Finibus sic scribit: NIMIVM BONI, CVI NIHIL EST MALI. Quod Euripides hoc modo expressit:

—— κεῖνος ὀλβιώτατος,

ὅτῳ κατ' ἡμαρτυγχάνει μηδὲν κακόν.

Sat ille fœlix & beatus est, mali

Cui nil in vita contigit.

Qui enim sine malo & periculo viuit, is fœliciter & beate viuit: adeoq; vita tuta, quamuis humilis, fœlicissima est. Nam, secundum Sophoclem: εὐδαίμονες, οἷσι κακῶν ἀγεύστος αἰὼν: fortunati sunt, quorum vita nihil gustauit mali. Sed &, *In re mala, animo si bono vtare, adiuuat*, secundum Plautum in Captiuis. Quã-

doquidem animus æquus optimum est ærumnę condimentum: &, vt Democrito placet, εὐτυχὴς, ὁ ἐπὶ μετρίοις χρήμασιν, εὐθυμούμενος: δυσυχὴς δ', ὁ ἐπὶ πολλοῖς δυσθυμούμενος: fortunatus est, qui cum mediocrib. opibus hilaris est: infortunatus autem, qui inter magnas opes anxius est ac tristis. Nam, vt Poëta vetus dixit,

Inficiari est calamitatem, cùm te fœlicem vocas.

Neque verò omne, quod fœliciter, benè succedit, nec omne, quod benè, fœliciter, teste Gregorio. Magnæ autem virtutis est, cũ fœlicitate luctari: magnæ etiam fœlicitatis, à fœlicitate non vinci, vt Augustinus docet. Itaq; vtile est, ad vsum secundorũ, per aduersa veniſſe, vt C. Plinius Secundus scripsit: siquidem,

Dulcia non meminit, qui non gustauit amara.

Nihil autem vere prosperum, nihil fœlix, nihil beatum dici potest, quod non fortunauerit totius fœlicitatis auctor Deus. Quoniam fœlicitas ipsa non Dea, sed Dei donum est, non igitur colenda, sed à Deo petenda, vt monet Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei. Quò etiam Carini illa sententia referenda est apud Stobæum:

ἀσκεῖν μὲ δρετὰν, εὐτυχεῖν δ' εὐπετῆ θεός.
ἔχων γὰρ ἄμφω ζῶντι, μακάριός θ' ἅμα
κεκλημένος ζῆν, κἀγαθὸς δυνήσεται:
Virtus colenda est, à Deo fœlicitas
Petenda: compos vtriusq; viuere
Tanquam beatus & bonus vir hic potest.

Sym-

Symbolum XXXIX.

FL. PHILIPPICI BARDANIS.



[Golz. Leuis est fortuna, quæ dedit, reposcit:

QVOD DEDIT, HOC FORTVNA *leuis* CITÒ *nempè reposcit*:

Quæ tantùm constans in leuitate sua est.

SCitum est illud Poëtæ veteris dictum:

Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.

Quo monemur, fortunam nihil cuiquam proprium facere aut dare, sed tantum mutuò dare aut commodatò, quæ quia inconstans est & mutabilis, suo tempore id, quod dedit, repetere soleat. Cum quo Bionis illud congruit, qui dixit:

τὰ χρήματα πλουσίοις τῶν τύχων
ὐ δεδώρηται, ἀλλὰ δεδανείσται: hoc est,

Fortunam diuitibus pecuniam non donasse, sed mu-

tuò dedisse. Nam, vt Plautinum illud habet in Truculento,

Actutum fortuna solet mutarier: variâ vita est.

Et, secundum Menandrum:

ὡς ποίκιλον πρᾶγμ' ἐστὶ, καὶ πλάνον τυχη!

Fortuna quàm res vana, quàm volubilis!

πεπλανημένον γὰρ τὸ εὖ πράττειν, καὶ οὐκ ἀεὶ παρὰ τοῖς αὐτοῖς: Prosperitas res dubia est & vaga, nec iisdem semper adhærens, vt Herodotus scribit. Sic Ouidius lib. 5. Tristium:

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat:
Et manet in nullo certa tenaxque loco:
Sed modò læta manet, vultus modò sumit acerbos:
Et tantum constans in leuitate sua est.

Et Manilius:

Nec in cunctis seruat fortuna tenorem:
Vsq; adeò permixta fluit: nec permanet vsquam
Amisitque fidem variando cuncta per orbem.

Et Ausonius:

Fortuna nunquam sistit in eodem statu:
Semper mouetur: variat, & mutat vices:
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

Nec aliud sane docet hoc Symbolum Publianum:

LEVIS EST FORTVNA: CITO REPOSCIT, QVAE DEDIT.

Nam secundum Herodotum, ὡς κύκλος τῶν ἀνθρωπίνων ἐστὶ πραγμάτων: περιφερόμενος δὲ οὐκ ἐᾷ αἰεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχεῖν: Quasi circulus est quidam rerum humanarum, qui sua rotatione eosdem bona semper vti fortuna non patitur. Quam in sententiam quoque scribit Gregorius Theologus in epistolis: ὁρᾷς (inquit) οἷα τὰ ἡμέτερα: καὶ ὅπως κύκλος τις τῶν ἀνθρώπων, περιτρέχει πραγμάτων: νῦν μὲν τῶν, νῦν δὲ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἀπανθρώπων: καὶ οὔτε τοῦ εὖ πράττειν ἐστῶτος ἡμῖν, οὔτε τοῦ δυστυχεῖν:

ἀλλὰ

ἀλλὰ τάχιστα μετακινουμένου, καὶ μεταπίπτοντος, ὡς ἄυραις εἶναι, μᾶλλον πιστεύειν, καὶ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος, ἢ ἀνθρώπων εὐημερίᾳ. Quæ sit rerum nostrarum conditio, vides: & quomodo rota quędam negotiorum humanorum cursu circumagatur: nunc his, nunc illis florentibus, ac marcentibus, dum neque prosperitas, neque aduersitas, vt aiunt, nobis constat, sed mutatur subito & variatur, vt aureis literis aquæ inscriptis magis fidere liceat, quàm fœlicitati humanę. Sic varia est vitæ commutabilisque ratio: & vaga volubilisque fortuna, auctore Tullio: quæ nunquam diu eodē stat vestigio, vt Tacitus loquitur: sed in omnibus rebus modo infensior, modo æquior est, teste Pausania: & ex summo retrò volui consueuit, secundum Liuium: quæ vere est Euripus, vt in prouerbio dicitur. Quo fit, vt cito omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lachrymas recidant. Nam, vt Clitomachus dixit:

τοῖς εὖ παθοῦσιν ἀντιπνεύσασ' ἡ τύχη
πάντα συγχεῖ: πάντα ναυαγεῖν ποιεῖ,
τὰ τῇ φρονήσει, καὶ τοῖς λογισμοῖς ὀρθῶς
ἐκπεπονῆσθαι δοκοῦντα πρὸς τὸ καλῶς ζῆν.

Fortuna respirans semper fœlicibus,
Confundit, & naufragio miscet omnia,
Quæ ratio recte instituit, & prudentia,
Fœlicis instrumenta vitæ idonea.

Neque verò leuis solùm est & volucris fortuna, sed etiam maligna & potens: *Quæ*, vt Plautus ait in Captiuis, *humana frangit arctatque, vt lubet*: quæque, secundum Sallustium, in omni re dominatur: & res cunctas ex libidine magis, quam ex vero, celebrat obscuratque. Nam, vt Maro canit, *Sors omnia versat*:

Et, vt Accius apud Nonium:

Fors dominatur, neque vita vlli propria in vita est.

πρέφει

στρέφει δὲ πάντα τ' ἐν βίῳ μικρὰ τύχη:

Fortuna parua versat humana omnia:

vt ait Menander. Et Seneca in Hippolyto:

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit: spargitque manu
Munera cœca, peiora fouens.

Et notum est Epigramma illud vetus, quod in Maronis extat operibus:

O fortuna potens, quàm variabilis!
Tantum iuris atrox quæ tibi vindicas,
Euertisq; bonos, erigis improbos,
Nec seruare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus:
Fortuna innocuos cladibus afficit:
Iustos illa viros pauperie grauat:
Indignos eadem diuitiis beat.
Hæc aufert iuuenes, & retinet senes,
Iniusto arbitrio tempora diuidens.
Quod dignus adimit, transit ad impios.
Nec discrimen habet, rectaque iudicat,
Inconstans, fragilis, perfida, lubrica:
Nec, quos deseruit, perpetuò premit.

Quam ob causam veteres Fortunam deã finxerunt, quæ, vt in illo Alcmanis habetur apud Plutarchum, εὐνομίας, καὶ πειθοῦς ἀδελφὴ, καὶ προμηθείας θυγάτηρ, id est, institutionis rectæ, & persuasionis soror, & prouidentiæ filia sit. Quod Plautus in Pseudolo confirmat, his verbis:

Centum doctûm hominum consilia hæc vna deuincit Dea
Fortuna: atque hoc verum est, perinde vt quisque ea vtitur,
Ita præcellit, atque exinde sapere eum omnes dicimus.

Et Pli-

Et Plinius: Toto mundo & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, & vna nominatur: vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & conuitiis colitur, volubilisque, à plerisque verò & cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix: huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola vtramque paginam facit: adeoque obnoxiæ sumus sortis, vt Sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incerta. Vnde & Publius Mimus:

Ex hominum quæstu facta Fortuna est dea.

Quæ non vno modo efficta est ab hominibus sapientibus, sed veræ religionis ignaris: siquidem alii inter maris vndas velificantem: nonnulli in saxi vertice montisue cacumine ventis omnibus expositam: quidam sedentem in cylindro cum gubernaculo: plerique rotæ aut orbi insistentem effinxerunt. Nam &, secundum Marcellinum, versabiles fortunæ motus ludunt mortalitatem: nunc euehentes quosdam in sidera: nunc ad Cocyti profunda mergentes. De qua Cebes ille Thebanus in Tabula sic scribit: Quænam est illa mulier? quæ velut cœca atque insana super lapide quodam rotundo consistere videtur? Fortuna (inquit ille) vocatur, ea autem non solùm cœca, sed insana quoque & surda est. Quænam huius sunt partes? Obambulat quocunque gentium, & aliis quidem facultates eripit, aliis tradit: & ab his rursus aufert, quæ tradiderat, atque aliis temerè tribuit. Et Pacuuius in Rhetoricis ad Herennium:

Fortunam insanam esse, & cœcam, & brutam perhibent Philosophi:
Saxoque instare globoso prædicant volubili.

Idèo

Ideò quòd saxum impulerit sors, eò cadere fortunam autumant:

Cæcam ob eam rem iterant, quia nihil cernat, quo se se applicet:

Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit:

Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

Et Q. Curtius lib. 7. Sine pedibus dicunt esse fortunam: quæ manus & pinnas tantùm habet: cùm manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. Et M. Cicero in Lælio: Non solùm ipsa Fortuna cæca est, sed eos etiam plerunque efficit cæcos, quos complexa est. Illi enim efferuntur fastidio ferè & cõtumacia: neque quicquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Et Liuius Lec. 1. lib. 5. Occæcat animos fortuna, vbi vim suam ingruentem refringi non vult. Quanquam verò, secundum Pausaniam, μηδὲν ἄνευ τύχης, nihil sine fortuna fit: quæ, vt Cicero ait, est rerum omnium domina, quam vitare nemo potest, tamen, secundum Satyricum:

Victrix fortunæ sapientia est:

Et, vt Mimus habet:

Fortuna nulli plus, quàm consilium, valet:

Contrà quam Theophrastus in Callisthene scripsit apud Ciceronem:

Vitam regit Fortuna, non sapientia:

Aut, vt in Græco versu est:

τύχη τὸν τῶν ἀνθρώπων, οὐκ εὐβουλία.

Quandoquidem, vt Seneca ait, nihil dare cuiquam potest fortuna, neque boni, neque mali, quoniam valentior est omni fortuna animus, qui in vtramque partem res suas ducit: beatæque ac miseræ vitæ sibi causa

causa est, atque ideò, vt Satyrici verbis vtar, sed nonnihil immutatis,

Nullum numen abest, si sit prudentia, nec te
Nos facimus Fortuna deam, cœloque locamus.

Quid enim aliud est sors, quid fortuna, quid casus, quid euentus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, vt vel non cadere atque euenire, vel aliter cadere atque euenire potuerit? Itaque verum est, quod Augustinus scripsit, Fortunam deam antiquos dixisse, non rationabili dispositione, sed vt temerè acciderit, sua cuique bona conferre. Vnde & Philemon apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum sic ait:

οὐκ ἔστιν ἡμῖν οὐδεμία τύχη θεὸς,
οὐκ ἔστιν: ἀλλ' αὐτόματον, ὃ γίγνεται;
ὡς ἔτυχ' ἑκάστῳ, προσαγορεύεται τύχη:
Fortuna nulla est vspiam nobis Deus,
Sed quicquid homini forte contingit, solet
Fortuna id omne passim nuncuparier.

Quare, secundum Mimographum,

Male geritur, quicquid geritur, fortunæ fide.

Quæ, vt mentem non habet, vt Diphilus loquitur: ita *nec vlli præstat velox fortuna fidem*: vt Seneca scribit in Hippolyto. Quod enim à fortuna pendet, id parum est firmum ac certum, sed instabile & inconstans, cùm secundum Senecam,

Leuis magnas opes hùc ferat & illùc casus.

τύχη γὰρ ὀρθοῖ καὶ τύχη καταῤῥέπει:
Fortuna deprimit, fortuna & erigit,

vt est apud Sophoclem in Antigona. Et apud Ouidium:

Nempe dat, & quodcunque libet, Fortuna, rapitque,
Irus & est subito, qui modo Crœsus erat.

Quanquam igitur, vt Accii illud habet in Telepho apud Macrobium,

Regnum

Regnum Fortuna atque opes eripere potest: tamen virtutem non potest auferre.

Nam, vt in Mimo est Publiano:

Fortuna opes auferre, non animum potest:

Quod enim non dedit Fortuna, non eripit, teste Seneca in Epist. 60. Quò fit, vt non multum ei possit obesse fortuna, qui sibi firmius in virtute, quam in casu, subsidium collocauit, vt monet auctor Herennianus. Ac proinde, vt Alexis monet,

κἂν εὐτυχῇ τις, ὡς ἔοικε, προσδοκᾷν
ἀεὶ τι δεῖ, καὶ μὴ πιστεύειν τύχῃ:
Fortuna fœlix vt sit, expectare fas
Sortem malam, sorti bonæ nec fidere.

Et Isocrates ad Demonicum: νόμιζε μηδὲν εἶναι τῶν ἀνθρωπίνων βέβαιον: οὕτω γὰρ οὔτ' εὐτυχῶν ἔσῃ περιχαρὴς: οὔτε δυστυχῶν περίλυπος: Sic habeto, nihil rerum humanarum firmum esse, quò fiet, vt nec in rebus secundis lætitia efferaris, nec in aduersis consterneris: ταὐτὸν γάρ ἐστιν, ἐπ' εὐτυχίᾳ μεγαφρονεῖν: καὶ ἐπὶ ὀλισθηρᾶς ὁδοῦ σταδιοδρομεῖν: idem est in prospera fortuna altum sapere, & in lubrica via cursibus certare, vt Socrates dixit. Sic igitur, quoniã incerta sunt omnia fortunæ choragia, nec laudanda est, nec vituperanda est. Fortunam enim laudare, est stultitia, & vituperare, superbia est: animi autem laus & honesta est, & vituperatio vehemens, teste Tullio. Contemnendæ verò sunt res humanæ, vel potius despiciendæ, quia sunt inconstantes, minimeque diuturnæ, & vt Euripides loquitur, ἐφήμεροι τυχαί, qui sane contemptus nos in vtraque fortuna efficiet moderatos.

Sym-

Symbolum XL.

FL. ANASTASII II.
QVI ET ARTEMIVS.



[Golz. Cui semper dederis, vbi neges, rapere imperas.]

Cui semper dederis, dare si quandoque recusas:
Sponte sua rapere hunc, cùm lubet, ipse iubes.

MAgna vis est consuetudinis, quæ non modo lex ipsa, sed altera est natura. Neque enim solùm legem imitatur, sed & vincit legem: adeoque plus valet, quàm lex ipsa, teste Aristotele, Sic verè est consuetudo, quod dicitur, tyrannus, quæ principis habet potestatem, vt Cyprianus loquitur: Quam sanè vincere, dura pugna est, secundum Augustinum: Gra-

uissimum enim, vt Seneca vult, imperium est consuetudinis: eaque natura potentior, teste Curtio. Quò fit, vt ægre reprehẽdas, quod sinis cõsuescere, auctore Hieronymo. Facile enim cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret: eoque ipso consuetudo facit debitores, vt scribit Bernardus. Sic incipit esse licitum, quod est publicum, secundum Cyprianum, & consuetum quicquid est, semper præsumitur iustum, vt Iurisconsultis placet. Nam & qui assueuerit semper accipere, is putat iam sibi deberi, quod datur: adeò vt, si negaris, vi eripere paratus sit. Sic enim Symbolum hoc habet, ex Publii Syrii Mimis desumptum:

CVI SEMPER DEDERIS, VBI NEGES, RAPERE IMPERAS.

Siquidem, vt Xenophon ait, non tàm durum est non accipere, quàm solitum non accipere. Nam, secundum Publium:

Minùs decipitur, cui negatur celeriter,

Imò verò, vt idem scribit,

Pars beneficij est quod petitur, si bene neges.

Quod etsi in genere verum est de omnibus, tamen proprie ad tyrannos pertinet & principes eos, qui census semel datos, tanquam iure sibi debitos, semper exigunt: & dum rogant, imperant: *precibusq; minas regaliter addunt*, vt Iupiter apud Nasonem. Quam πειθανάγκην appellat M. Tullius Cicero in Epistolis: id est, suasionem cum necessitate vique coniunctam: αἱ γὰρ τῶν τυραννῶν δεήσεις (inquit Plato) μεμιγμέναι ἀνάγκαις εἰσίν: Tyrannorum preces necessitati admixtæ sunt. Vnde preces armatæ vulgò appellatæ, quæ amicæ postulationi minas habent coniunctas hostiles, Quod & Mimus ille celebris testatur:

Co-

Cogit rogando, qui rogat, potentior;

seu, vt ab aliis citatur:

Quando potentior rogat, tunc imperat;

Nimirũ θατέρᾳ μὲν δόρυ, θατέρᾳ δὲ κηρύκειον προϊεχόμενος; hoc est, altera manu hastam, altera caduceum præferens, vt est in prouerbio Græcorum. Quod ex Pausania annotat Eustathius, & à Gephyræis natum esse ostendit, quos scribit à Tanagræis bello infestatos, fecialem præmisisse cum caduceo, sub pacis legationisque prætextu, armata pone iuuenum manu subsequente. Sed & Polybius libro quarto de Rhodiis scribens: πρεσβεύτην μὲν (inquit) Ἀριδίκην προσεχειρίσαντο πρὸς τοὺς Βυζαντίους: πολεμοκλῆν ἰτρεῖς ἔχοντα τριήρεις ὁμοῦ συναπέστειλαν: βουλόμενοι τὸ δὴ λεγόμενον, καὶ τὸ δόρυ, καὶ τὸ κηρύκειον πέμπειν πρὸς τοὺς Βυζαντίους: Ad Byzantinos Rhodii legatum Aridicen delegerunt, simulque cum eo Polemoclen tribus instructum triremibus emiserunt, volentes simul & hastam, & caduceum, iuxta prouerbium, mittere ad Byzantinos. Nimirum hoc est, quod Maro dixit:

Pacem orare manu præfigere puppibus arma.

Semper enim imperat, quoties iratus rogat hostis, qui verè est, vt in prouerbio dicitur, ἀπόλεμος πολέμιος: sicut è diuerso is, *qui timide rogat, docet negare*, vt Seneca vult. Sic Tyrannis, secundum Euripidem, ἀδικίας μήτηρ; mater iniustitiæ est: sic, vt apud Ennium est,

Tollitur e medio sapientia, vi geritur res.

Et, secundum Senecam,

Ius est in armis, opprimit leges pudor.

Nam omnia cedant necesse est, quoties princeps aut rex eiusmodi profert oraculum, cuiusmodi apud Homerum Agememnon profert:

εἰ δέ κε μὴ δώησιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι:

Ipse quidem eripiam, si tradere forte grauentur.
Nam cùm, secundum Herodotum, δυνάμις ὑπὲρ ἀνθρωπον τοῦ βασιλέως, & χεὶρ ὑπερμήκης, potentia regis supra hominem, & manus longa sit, omne ius in manu ponit, &, vt Lucianus loquitur, τὸ δίκαιον ἐν τῇ χειρὶ ἔθηκε. Ex quo fit, vt Æschines vocat, ὁ χειρὼν νόμος, lex in manibus, quemadmodum & seruus ille apud Plautum minitatur, *se manu litem actorum*: adeoque vox illa præualet, Tyrannorum propria & quasi peculiaris: αὐτὴ κρείσσων, & αὐτὴ κυρία: Hæc potior, & hæc domina: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Tunc igitur *plus potest, qui plus valet*, vt Plautus ait in Truculento, &, vt Publius:

Cui plus licet, quàm potest, plus vult, quàm licet.

Nam, secundum Senecam,

Nemo potentes aggredi tutus potest:

Et, secundum Publium,

Miserum est ab eo lædi, de quo nequeas queri.

δυνάμις γὰρ ἀνάγκης ἐστὶν ἰσχυροτέρα:

Potentia propè necessitatem habitat, vt Pythagoras ait. Sic verum fit Comici illud in Heautontimorumeno:

Quàm multa iusta, iniusta fiunt moribus.

Nam & consuetudo tempore confirmata, plus oratione & religione valet, teste Niceta: omneque adeò peccatum consuetudine vilescit, & assidua cõsuetudo vitium in naturam conuertit: & idcirò difficile est peccari consuetudinem vincere, vt scribit Isidorus in Soliloquiis. Quò pertinet egregius ille locus apud Cedrenum in compendio Historiæ: Ferunt (inquit) Abrahamum Patriarcham dixisse: Magnum esse discrimen inter veritatem & consuetudinem, veritas siquidem etiam cùm probè inuestigatur, ægrè inuenitur: consuetudo, qualiscunque ea, siue sit fallax,

lax, siue verax, vltrò sine examine sese offert. Tum neque ex consuetudine à maioribus sibi tradita, si recta sit, lætitiam, neque si fallax sit, molestiam homo percipit: non etiam proprio animi sui iudicio, sed præiudicio & maiorum sententiæ credit: Quò fit, vt cùm spem suam in incertis euentibus reposuerit, non facilè paternum exuere possit amictum: quanquam id quod à maioribus accepit, ei planè stolidum & ridiculum esse liquidò demonstretur.

Symbolum XLI.

FL. THEODOSII III.



[Golz. Cuiuis dolori remedium est Patientia.]
Alia aliorum sunt malorum remedia:
PATIENTIA *omnium est* MALORVM REMEDIVM.

ANTIDOTVM VITAE, PATIENTIA: *sola malorum*
Victrix: si bene vis vincere, disce pati.

Qui patitur, se sanat homo: Patientia sanat,

Quod cruciat, victrix & leuat omne malum.

Tu ne cede malis. PATIENTIA *quippe dolori*
Optima sic cuius sit MEDICINA MALO.

CVm alia aliorum malorum sint remedia, sed singulorum singula, commune omnium malorum remedium est sola Patientia, qua omnis dolor leniturr & mitigatur. Quod Symbolum hoc probat Publianum:

CVIVIS DOLORI REMEDIVM EST PATIENTIA.

Quæ sanè virtus tàm similis est fortitudini, vt cum ea, vel ex ea nata videri possit, auctore Val. Maximo. Ea verò est, vt Tullio placet, honestatis & vtilitatis causa, rerum arduarum atque difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. Cuius partes sunt duæ, quarum vna in fortuna aduersa toleranda, altera in perferendis iniuriis versatur. Ac fortunam quidem aduersam moderatè ferre, nec malis succumbere, aut animo frangi, aut temere desperare, magnæ profectò virtutis est, magnæque prudentiæ Nam, vt Euripides scribit in Alcmena,

δὶ μὲν φέρειν χρὴ συμφορὰς τ' εὐζῆν:
Bene ferre fortunam decet natum bene.

Et, vt Antiphanes apud Stobæum:

τὸν τύχης φέρειν δεῖ, ὡπίως τ' εὐζῆν:
τὸ μὲν γὰρ εὐτυχεῖσθαι, παντὸς εἶναί μοι δοκεῖ:
ἀνδρὸς δ' ἐνεγκεῖν ἀτυχίαν ὀρθῶς πρόπου.
Probum modestè ferre fortunam decet;
Infortunatus esse nullus non potest:
At ferre fortunam viri tantùm est probi.

Nam &, secundum Senecam, ad hoc sacramentum addicti sumus mortales, ferre mortalia. Plane enim vt Tha-

vt Thucydides vult, ferre ea, quæ diuinitùs immittuntur, necessariò oportet, quæ ab hostibus, viriliter. Qui & alias in oratione Periclis: οἵτινες (inquit) τοῖς τοῖς ξυμφοραῖς γνώμῃ μᾶλλον ἥκιστα λυπεῖσθαι: ἔργῳ δὲ μάλιστα ἀντέχουσιν: ὅτοι καὶ πόλεων καὶ ἰδιωτῶν κράτιστοί εἰσι: Qui in calamitatibus non franguntur animo, sed re ipsa potiùs & facto obsistunt, hi sunt optimi, siue in Republica sint, siue in vita priuata. Et M. Cicero in Rullum, veteres quosdam Romanos commendat, non solùm publicis honoribus rebusq; gestis, verùm etiam patientia paupertatis ornatos. Hinc rectè Menander:

ἐνεγκὲ ἀτυχίαν, καὶ βλαβὴν ἀσχημόνως:
Damna & dolores fer modestè ac leniter.

Et Apollodorus:

εὐθύποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράττοντα δεῖ:
τὰ βέλτιω δ' μᾶλλον προσδοκᾶν ἀεί:
Infortunatus haud animum despondeat:
Sed præstoletur meliora omni tempore.

Sed & non minor virtus & sapientia est, ferre iniurias, non persequi, maximè Reipublicæ causa. Nam, vt Cicero ait, dolorem atq; inimicitias priuatas Reipublic. concedere, magni cuiusdam hominis & persapientis videtur. Et, vt Pythagoras, μεγάλη παιδεία ἐστὶν δὶ ἧς δυνήσεταί τις φέρειν ἀπαιδευσίαν: Magna peritia est, qua aliorum ferre quis potest imperitiam. Quippe cùm, secundum Senecam, nihil impatientius sit imperitia, quæ rationes audire dedignatur. Cum quo congruit Philemonis illa sententia:

ἥδιον ἐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον
ἓν', ἢ δυνασθαι λοιδορούμενον φέρειν:
ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
μὴ ταῦτα ποιῇ τοι, λοιδορεῖται ὁ λοιδορῶν.

Nil suauius, nil docto viro dignius,
Conuiciatorem quàm ferre: nam bene
Conuicium qui dissimulat, conuicium
Conuiciatori rependit maximum.

Pulchrius enim est, alienam petulantiam ferre, quàm referre, vereque magni animi est, iniurias quasdam negligere, nec ad omnia conuitia vel aures, vel linguam præbere. Nam, vt Symmachus scribit, dura quidem commotio est, quam gignit iniuria, sed mollior delet dolorem medicina patientiæ. Impatientia, aduersus Dei iustitiam est contumacia. Sic Aristippus à quopiam contumeliis lacessitus: Penes te (inquit) est malè dicere: penes me bene audire. Et Plato conuiciatori cuidam: Perge (inquit) maledicere, quia benedicere non didicisti. Et Xenophon maledicenti sibi cuidam: Tu (inquit) maledicere didicisti: Ego, conscientia teste, didici maledicta contemnere. Sic & Socrates ab Aristophane publicè in theatro verborum laceratus contumeliis, non modò ægrè molesteque hoc non tulit, sed & obuiam sibi factum aduersarium humaniter amiceque compellauit, an se rursus opus haberet ad similem aliam contumeliam. Et Pittacus iniuria affectus à quodam, cùm animaduertendi in eum ius haberet, sponte eo dimisso: Venia (inquit) vltione melior, hoc est, vt Græca verba sonant, συγγνώμη τιμωρίας ἀμείνων, τὸ μὲν γὰρ ἡμέρου φύσεώς ἐστι: τὸ δὲ θηριώδους. Et Demosthenes contumeliosissime sibi maledicenti: οὐ καταβαίνω (inquit) εἰς ἀγώνα, ἐν ᾧ ἡττώμενος τοῦ νικῶντός ἐστι κρείσσων: Non descendo in certamen, in quo victus ipse victore præstantior est. Nam, secundum Euripidem,

δυοῖν λογόντοιν, θᾷτέρου θυμουμένου,
ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις, σοφώτερος:
Certantibus duobus, irato altero,

Qui non refragatur, longe est sapientior.

Magni enim animi est, vt Seneca scribit, iniurias despicere, & vltionis contumeliosissimum genus est, non esse dignum visum, ex quo peteretur vltio. Multi siquidem iniurias altiùs sibi demisere, dum vindicant, ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ minutorum canum latratus obaudit. *Quippe*, secundum Satyricum, *minuti*

Semper & infirmi est animi exiguique voluptas,
Vltio: continuò sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quàm fœmina.

Etenim verum est Maximi illud Valerii dictum, speciosius aliquantò iniurias vinci beneficiis, quàm mutui odii pertinacia pensari. Quod Philippi Macedonis exemplo compertum est, qui omnes fere conuiciatores suos vicit patientia, eosque sibi ex inimicis fecit amicos: regium nimirum ratus, male audire, & bene facere, quod Alexandrum, Philippi filium, in simili causa respondisse ferunt. Nec dissimile est exemplum Philosophi illius apud Senecam, qui interrogatus, quonam pacto rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem scilicet: respondit, multas iniurias accipiendo, & pro his gratias agendo. Optimũ enim & longe rutissimum est remedium, contra Sycophantæ morsum, si quis virtute potius inimicum vincat, quàm iniuria. Itaque Diogenes percunctanti cuidam, quomodo hostem vlcisci debeat, respondit, αὐτὸς καλὸς καγαθὸς γενόμενος. Magna autem, vt Hugo ait, virtus est, si non lædas, à quo læsus es: magna est fortitudo, si etiam læsus remittas, magna est gloria, si cui nocere potuisti, parcas: adeoque

Nobile vindictæ genus est, ignoscere victo.

Neque sane victoria minor est, secundum Grego-

rium, hostes tolerare, quàm vincere. Ex quo recte Poëta Christianus.

Nobile vincendi genus est PATIENTIA: *vincit,*
Qui patitur: si vis vincere, disce pati.

Nam semel vincit, qui statim patitur, vt Cyprianus dixit: & non solùm vincit inimicũ, sed & seipsum, hoc est, animum suum vincit, tãquam hostem pessimum, teste Publio, in quo laus fortitudinis est maxima. Recte enim Naso:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altior ire potest.

Et Cato Romanus:

Quæ superare potes, interdum vince ferendo:
Maxima nam morum semper Patientia virtus.

Et Seneca: Si imbecillior est, qui te læsit, parce illi, si potentior, tibi parce. Sic Theophrastus: μὴ δίκῃ (inquit) παρὰ τὸ ἐχθρὸν λαμβάνῃς: ἐξ ἧς μέλλεις σωτὸν, μὴ κἀτοὺς ἐκείνες βλάπτειν: τὸ γὰρ προαιρεῖσθαί τινα κακῶς ἑαυτὸν ποιοῦντα, δίκῃ δίδοναι ἐχθίστου, ἢ λαμβάνειν ἐστίν: Ne ita inimicos vlciscaris, vt tibi magis, quàm illis obsis. Qui enim inimicum suo cum malo vindicat, pœnam dat potius, quàm alteri infligit. Et Musonius: τὸ μὲν σκοπεῖν, ὅπως ἀνεπιδέκτητός τε ἀδικεῖσθαι, καὶ ἀνεπιφόρος κακῶς τὸ ὑπάρξαντι, ἀγαθόν τινος, ἀνδρὶ ἀνθρώπῳ ἐστίν: ὃς δεῖ τὸ λογίσασθαι δυνατὸς): ὅτι τε πολλὰ τῶν ἁμαρτανομένων ὑπὸ ἀγνοίας τε καὶ ἀμαθίας τοῖς ἀνθρώποις ἁμαρτάνεται): ὧν ὁ μετὰ δικαίου θεὸς οὐδὲ παύει): τὸ δὲ ἐκ ἀρχῆς δέξασθαι τὰς ἁμαρτίας: μηδ' ἀνήκεστον εἶναι τοῖς ἀνημελήμασιν: ἀλλὰ τὸ μὲν εἶναι αὐτοῖς ἐλπίδα χρηστὴν, ἡμέρᾳ τῇ ὅτῳ, καὶ φιλανθρώπῳ ἐστίν: Sane animo cogitare, quomodo eum, qui momordit, remordeas: & retalies auctori iniuriam, feræ cuiusdam magis, quàm hominis esse arbitror. Siquidem meminisse illud quisque debet, multa per ignorantiam, aut imperitiam sæpenumerò, commit-

ti, à

ti, à quib. posteà cognitis, sponte mox desistitur. Mitia & humana ingenia non efferata sunt & dura in eos, qui peccarunt, quæ melius semper sperant. Maximè verò iniurias priuatas Reipubl. causa condonare aut dissimulare, sapientis semper fuit habitum. Magni enim animi est, vt (Seneca loquitur) in summa potentia iniurias pati, nec quicquam est gloriosius principe impunè læso. Qua in re præcipuam meretur laudem Camillus, qui tantus vir maluit afflictæ patriæ, quàm suæ iniuriæ, memor esse: vnde & alter Romulus appellatus est, vt auctor est Liuius libr. 5. Dec. 1. Et Scipio pulsus patria, multis Tribunorum plebis iniuriis dissimulatis, vna hac vltione contentus fuit, quod sepulchro suo inscribi iussit: Ingrata patria, non possidebis ossa mea. Adeò verum est Menandri illud:

---οὗτος κράτιστός ἐστ' ἀνὴρ,
ὅσις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ' ἐπίσταται βροτῶν:
---*Vir ille est optimus,*
Iniurias qui ferre nouit plurimas.

Ferendo enim iniurias, maiorem laudem, quàm vlciscendo, meremur. Qui enim iniurias suas persequi volunt, dolori suo, non Reipublicæ commodo, seruiunt, auctore Tullio in Verr. actione prima. Melior autem semper est conditio iniuriam patientis, quàm facientis, teste Augustino. Quanquam verò durum est, & onus, vt Silius vocat,

Ingens, ferre mala, & fortunæ subdere colla:

Et, secundum Poëtam,

ῥᾷον παραινεῖν, ἢ παθόντα καρτερεῖν:
Patientiam suadere facile, non pati:

Tamen, vt Flaccus canit,

——*Leuius fit patientia,*
Quicquid corrigere est nefas:

Et,

Et, vt Seneca, optimum est pati, quod emendare non possis: τοῖς γὰρ κακοῖς τοὺς μὴ μαχομένους ῥᾷστα χρωμένους ὁρῶ, vt Alexidi placet in Syracusio: &, secundum Nasonem,

Leue fit quod benè fertur onus.

Nam &, secundum Senecam in Hercule OEtæo: *vires pepulit pondusque mali, casus animo qui tulit æquo.* Sic, eodem Nasone auctore,

Posse pati facile est, tibi ni Patientia desit.

Atqui, secundum Pindarum in Pythiis: φέρειν ἐλαφρῶς ἐπαυχένιον λαβόντα ζυγὸν ἀρήγει: æquo animo iugum ferre incumbens collo iuuat. Nam, vt Claudianus canit,

——durum Patientia corpus
Instruit, vt nulli cupiat cessisse labori.

Quod & Publius Syrus monet in Mimis.

Feras, quod lædit, vt, quod prodest, perferas.

Item:

Fer difficilia, vt facilia leuiùs feras.

Quoniam, vt Seneca vult in Thyeste.

Leue est miserias ferre, perferre est graue.

Sic nimirum, secundum Silium,

Minuenda ferendo constanter mala.

Quod & Plautus monet in Captiuis:

Si Dij immortales id voluere, vos hanc ærumnam exequi,
Decet id pati æquo animo: si id facietis, leuior labor erit.

Quò accedit illud, quod, vt Theognis ait:

δειλῶν τοὶ κραδίη γίγνεται ὀξυτέρη.

Mentem acuit, patitur quod bene quisque malum.

Neque enim, quod patitur, pœna est, sed medicina, neque

neque damnatio, sed castigatio, teste Augustino, per quam, secundum Gregorium, virtus & sapientia hominis cognoscitur. Sed &, secundum Lucanum,

GAVDET PATIENTIA DVRIS:
Lætius est, quoties magno sibi constat honestum.

Sic, vt Seneca in Hercule furente scribit,

Quod fuit durum pati: meminisse dulce est.

Et, vt Cicero, Iucunda est memoria præteritorum malorum, & habet præteriti doloris secura recordatio delectationem. Iucundi enim sunt acti labores, vt in prouerbio est, neque tam cumulus bonorum iucundus esse solet, quàm molesta decessio. Quanquam enim optabilius est, vitæ cursum conficere sine dolore & iniuria: tamen ad immortalitatem gloriæ plùs adfert, desideratum esse à suis, quam nunquam omninò fuisse violatum, vt pro domo sua testatur M. Tullius Cicero. Quid? quod, secundum Plautum in Asinaria,

Fortiter malum, qui patitur, idem post patitur bonum.

Contrà autem magnum malum est, vt Bion dixit, ferre non posse malum, siquidem, vt Augustinus vult, impatientia malum malo cumulat, cuius summus stimulus est libido, secundum Tertullianum. Præclarè igitur Chrysostomus: ἀνεξικακία ἐστὶ πάντων αἰτία ἀνθρώποις τῶν ἀγαθῶν, ὥσπερ εἴς τινα εὔδιον λιμένα ὁρμίζουσα τὴν ψυχὴν: Patientia est hominibus causa omnis boni, animam exalto in portum inuehens tranquillum. Et Ambrosius: Illud est magnificum, si subiectus contumeliis, iudicium Dei laudes, si vexatus ægritudine, iudicio Dei deputes, si, cùm te inopia premit, non reuocet, quò minus laudes iudicium Dei. Et Origenes: Qui Deo iudicium relinquunt, &

pati-

patienter sustinent, quod de se iudicatum est: hi & à Deo misericordiam consequuntur, frequenter etiam ab hominibus ad pristinum gradum, & ad gloriam, quam amiserunt, reuocantur. Et Augustinus: Virtus animi, quæ Patientia dicitur, tàm magnum Dei donum est, vt etiam ipsius, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur. Et Gregorius: Si mens forti in Deum intentione dirigitur: quicquid in hac vita amarum est, sibi dulce æstimat, quicquid affligit, requiem putat. Nam donis suis Deus flagella permiscet, vt nobis omne, quod in seculo delectat, amarescat: & in animo surgat illud incendium, quod ad cœleste semper nos excitet desiderium, atque hoc modo, vt ita dicam, delectabiliter mordax, suauiter cruciet, & hilariter contristet. Sic nimirum verum est Symbolum istud:

PATIENTIA REMEDIVM MALORVM.

Quod apud Archilochum ita expressum legitur: θεοὶ μὲν ἀνήκεστοι κακοῖσιν αἰεν ἐπὶ κρατερὴν τλημοσύνην ἔθεσαν φάρμακον. Cæterùm gradus Patientiæ nouem facit Chrysostomus: Primus est, iniuriæ auctorem non fieri: Secundus, vbi iniuria facta est, par pari referre nolle: Tertius, iniuriam non reponere, sed quiescere: Quartus, præbere seipsum ad ferendum iniuriam: Quintus, præbere se etiam ad maiora, quàm vult is, qui facit iniuriam: Sextus, non odisse eum, qui facit iniuriam: Septimus, inimicum diligere: Octauus, eidem benefacere: Nonus, Deum pro ipso deprecari.

Symbo-

Symbolum XLII.

FL. LEONIS V.



[Golz. Peius tectum, quàm apertum, odium.]

Fronte hilari qui sunt, & tristi corde, caueto
Quisquis sapis, eiusmodi inimicos pessimos.

COEcilii sententia est, ex qua natum est hoc Symbolum, quam refert A. Gellius lib. 15. c. 9. *Ii sunt inimici pessimi, fronte hilari, corde tristi, quos neque vt apprehendas, neque vt mittas, scias*: qua monemur, non temerè fidendum esse inimico, præsertim occulto aut reconciliato, qui palàm amicus, clàm inimicus est: & falsam beneficii spem plerunque ostentat, vt occasionem nactus, funditus perdat. Nam is verè est, quod aiunt, πολέμιος δόλιος, qui specie amicitiæ, facit hostilia, quique, vt Euclio ille Plautinus ait in Aulularia,

Altera manu fert lapidem panem ostentat altera:

seu, vt Plutarchus, altera manu fert aquam, altera iguem:

ignem: nimirum εὔνους σφακτὴς, id est, beneuolus sicarius, vt Zenodotus nominat: ὥσπερ εἴτις ἑνὸς ἀνδρὸς τὴν μὲν καταψήχοι τὴν κεφαλὴν χειρὶ, τῇ δὲ παίοι τὴν παρειάν, id est, perinde quasi quis eiusdem hominis altera manu scabat caput, altera maxillam feriat, quod genus hominum pessimum est atque nocentissimum. Quo pacto & Diogenes ab eo cauendum esse monet, qui dextram in pugnum contractam amicis præbet, alteram autem manum sub pallio occultat, hoc est, qui fronte simulat amicitiam, & dissimulat inimicitiam, quique, secundum Pindarum, ἄλλοτε ἄλλα πνέων, καὶ οὔποτ' ἀτρεκεῖ καταβὰς ποδὶ: aliud stans, aliud sedens loquitur, vt Sallustius dixit, & sic *dulce amarumque vnà miscet*: vt Calliodorus adolescens loquitur apud Plautum in Pseudolo: seu, vt Hieronymus, ex eodem fonte dulce profert & amarum. Nam inimicitia, vetus ira, vel potius odium vetus est: & ira odiumque omnium tardissime senescit: neque tam facile resarcitur, quàm dissoluitur amicitia & beneuolentia: *Male* autem *sarta gratia* (si Horatio credimus) *male coit, & ne quicquam rescinditur:* verumque est, quod dicitur, λυκοφιλίαι αἱ διαλλαγαί. Ex quo recte Publius:

Cum amico nemo in gratiam redit citò.

Quemadmodum & Siracides monet, neminem securum esse debere de inimico reconciliato. Menander verò vetat ei temerè fidere, cùm ait:

λόγον παρ' ἐχθρῷ μή ποθ' ἡγήσῃ φίλον:
ἐχθρῷ ἀπιστῶν οὔποτ' ἂν πάθοις βλαβήν:
Ab hoste dicta nunquàm amica duxeris:
Diffisus hosti, nil feres vnquam mali.

Semper enim in domo formidabilis est hostis: &, vt Pædagogus ille senex monet apud Euripidem in Ione:

δυοῖν

δυοῖν μὲν ἐχθροῖν εἰς ἐν ἐλθόντων στέγος,
ἢ θάτερον δεῖ δυστυχεῖν, ἢ θάτερον.
Eadem duos hostes receptat si domus,
Pati necesse est alterutrum tunc malum.

Sic Dion lib. 45. Qui post vehementes inimicitias in gratiam redeunt: multa leuiuscula ac temerè accidentia in suspicionem rapiunt, atq; in vniuersum omnia tanquàm consultò & malam in partem facta, ad conceptum anteà odium apponunt. Quam ad rem illi, qui inter hos obuersantur, haud parum conferunt, qui beneuolentiæ prætextu subinde aliquid annuntiantes, animos iam antè irritatos, magis exasperant. Sed & hostium dona non sunt dona, vt est in prouerbio: quippè qui scorpium ferè pro perca, vel, vt Lycophron habet, ἀντὶ πιποὺς σκόρπιον donant. Sic enim Sophocles ait in Aiace Lorario:

ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα:
Infausta munera hostium, nec munera.

Et Euripides in Medea:

κακὸς δ' μὲν ἀνδρὸς δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει
Si quæ mali dant dona, prosunt nemini.

Quippè ea plerunque sunt, vt Poëta Græcus dixit,

---αὐτοκτόνα δῶρα,
ἐν χάριτος προφάσει μοῖραν ἔχοντα μόρου.

Id est,

——*lethalia dona,*
Quæ studij specie fata necemque ferunt.

Nam &, secundum Leontium:

Ἕκτωρ αἴαντι ξίφος ἄπασεν, ἕκτορι δ' αἴας
ζωστῆρ: ἀμφοτέρων ἡ χάρις εἰς θάνατος:
Balteus Aiacis datur Hectori, & Hectoris ensis
Aiaci: dono portat vterque necem:

Sic & Pandoræ pyxis Prometheo, & Medeæ vestis Ia-

ſoni, & Deianitæ tunica Herculi fuit exitio. Sic nimirum, vt in Græco verſu eſt apud Suidam,

ἄκαιρος οὖν οἱ οὐδὲν ἐχθρᾶς διαφέρει:

Par & odio importuna eſt beneuolentia.

Cæterùm auctore Publio:

Aperte cùm eſt malus hoſtis, tunc demum eſt bonus.

Quod & Cicero aſſerit in Lælio his verbis: Aperte odiſſe magis ingenuum eſt, quàm fronte occultare ſententiam. Nam nec amicus bonus eſt, niſi qui aperte bonus eſt.

φίλος ἢ βλάπτων, οὐδὲν ἐχθροῦ διαφέρει:

Cùm nocet amicus, nil ab hoſte diſcrepat,

vt Senarius habet Græcus. Sic Horatius:

Nil moror officium, quod me grauat.

Et Seneca: Sæpe nihil intereſt inter amicorum munera, & inimicorum vota. Quicquid illi accidere optant, in id horum intempeſtiua indulgentia impellit atque inſtruit. Quid autem turpius, quàm (quod euenit frequentiſſime) vt nihil interſit inter odium & beneficium? Et alibi: Peiora ſunt odia tecta, quàm aperta; Propterea loquax inimicus minus, quàm taciturnus, offendit. Scitum eſt etiam illud Catonis, multo melius de quibuſdam inimicos mereri acerbos, quam eos amicos, qui dulces videntur, illos verum ſæpe dicere, hos nunquam, vt Cicero ſcribit in Lælio. Nec ab hoc diſcrepat ſanè Diogenis Cynici illud, qui canes quidem cæteros ait mordere inimicos: ſe autem amicos, vt eos ſeruet incolumes. Sic igitur ſecundum Euſebium, ἐχθρὸς τἀληθῆ λέγων τοῦ προσποιουμένου φίλου, πρὸς χάριν εἰπόντος παντὸς αἱρετώτερος: Inimicus, qui vera loquitur, cuiuis amico fucato, qui ad gratiam loquitur, longè præferendus eſt. Sic Auguſtinus: Non omnis (inquit) qui parcit, amicus eſt, nec omnis, qui verberat, inimicus. Melius

enim

enim est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere.

Symbolum XLIII.

FL. CONSTANTINI V. COPRONYMI.



[Golz. Corpus excors fragile.]

QVID CORPVS, SINE CORDE? *quid est sinè principe regnum?*

CORPVS *cor, regnum rex animare potest.*

Publica res sine lege QVID *est?* SINE PECTORE CORPVS.

Illa anima est vrbis, corporis hoc anima.

Si cui contingit robur sine mente sepulchrum
Ipse sibi, aut viuum nomen cadauer homo est?

QVemadmodum, secundum Senecam, corpus hominis non nisi de mente sumit motum, cuius otiosa sunt membra, quamdiu animus his non vti-

tur, siquidem animus est (vt Cicero ait) qui viget, qui sentit, qui meminit, qui præuidet, & moderatur, & mouet id corpus, cui præpositus est, quod est quasi vas aliquod & receptaculum, in quo animum Deus conclusit: Ita homo sine ingenio & genio, id est, sine sapientia & intelligentia, vere est, vt Flaccus loquitur, CORPVS SINE PECTORE: cui, secundum Satyricum, *Laua in parte mamillæ*, *Nil salit*: adeoque viuum cadauer, & viui hominis, vel potiùs, vt Augustinus loquitur, animæ mortuæ quoddam quasi sepulchrum est. Nam hoc est corpus sine pectore, vt prouerbium habet, id est, sine mente, quippe sapientiam & ingenium Philosophi in pectore atque in corde constituunt: vnde & cordatos nominant prudentes; & væcordes siue excordes, stolidos atque imprudentes: qui, secundum Augustinum, in viuo corpore animas habent mortuas. Sola enim sapientia est, quæ vegetat, & quasi animat mentem & corpus hominis, quæque animi sanitas est, vt nulla iucunda esse possit vita, à qua absit prudentia. Quò fit, vt tùm demum homo viuat, cùm secum, id est, cum animo viuit. Nam animus cùm est secum, secumque, vt dicitur, viuit: tùm quæ ad se pertinent, ea curat, & quæ sua sunt, cognoscit, & noscit seipsum: adeoque coniunctam se ita mens cum diuina mente sentit, & cultum Dei puramque religionem suscipit: & exacuit illam, vt oculorum, sic ingenii aciem, ad bona deligenda, & reiicienda contraria, & corporis obsequio indulgentiaque discedit, & voluptatem sicut labem aliquam decoris opprimit: ex quo insatiabili gaudio completur, ac tùm demum bene beateque viuit, sapientia duce & comite, quæ ars viuendi sola putanda est: ὁ γὰρ κατὰ τὸν νοῦν βίος θειότατος καὶ εὐδαιμονέστατος; anima vita diuinissima & fœlicissima est, teste Aristotele,

ſtotele, & viuere homini ſapienti & docto eſt cogitare, ſecundum Ciceronem. Ex quo & Mercurius ille Triſmegiſtus docet, ſolum hominem viuere animo & ingenio: cætera verò bruta animalia, corpore ac ſenſibus, vt quò magis animus à corpore ad mentē reuocetur, eò vita hominis ſit diuinior atque vitalior. Neque enim ita ſe homo gerere debet, vt Seneca docet, tanquam is viuere debeat propter corpus, ſed tanquam non poſſit viuere ſine corpore: ſemperque cogitare illud, nihil in ſe eſſe mirabile, præter animum, cui magno nihil eſt magnum. Multò ſiquidem maior eſt homo, & ad maiora genitus, quàm vt ſit mancipium corporis ſui, quod quid aliud eſt, quam vinculum animi, & quaſi ergaſtulum? cuius ſanè contemptus, certa libertas eſt, eodem Seneca auctore. Nam, ſecundum Bernardum, nobilem hoſpitem habet corpus, quem honorare debet: quod tunc facit, cùm non ſe magis curat, quàm hoſpitem, id eſt, cùm à corpore homo citò redit ad animum, vt Senecæ verbis vtar. Quid enim aliud voces animum, niſi Deū in humano corpore hoſpitem? vt idem ſcribit Seneca in Epiſt. 32. qui profecto rex eſt noſter, & Imperator, quo incolumi, cætera manent in officio: Sicut rege incolumi aut duce, mens omnibus vna eſt, eo autem amiſſo, facilè fides rumpitur. Quod eò magis fieri oportet, quò maiora ſunt opera animi, quam corporis, & quo grauiores ſunt eæ res, quas perſequimur ingenio ac ratione, quàm hæ, quas corporis viribus perficimus. Sic igitur animæ & corporis conſortium dulce eſt, & iucundum, auctore Auguſtino. Cæterùm Symbolum hoc aliam quoque interpretationem, meo quidem iudicio non iniucundam aut ineptam admittit. Nam & CIVITAS SINE LEGE, & REGNVM SINE REGE, nihil ferè aliud

est, quàm CORPVS SINE PECTORE. Quid enim est Respublica aliud, quàm corpus quoddam totum, idque sanum, & integrum, & vegetum, & alacre, quod idcircò Isocrates vocat σύνταγμα τῆς πολιτείας, cuius actiones, siue bellicæ, siue vrbanæ, & tam sacræ, quam profanæ, quasi membra quædam sunt & partes, quarum singulæ suis funguntur muneribus, sicut in corpore humano vident oculi, audiunt aures, laborant manus, ambulant pedes: cætera deniq; membra suum faciunt officium: animus verò rationis compos & particeps, quo nihil homini dedit Deus ipse diuinius, tanquam summus Rex & Imperator, regit & moderatur corpus vniuersum. Quippe qui principium est, quo homo & viuit, & sentit, & mouetur, vt docet Aristoteles: νοῦς γὰρ ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει τἄλλα δὲ τυφλὰ καὶ κωφὰ τυγχάνει λόγον δεόμενα: Mēs cernit, mens audit, reliqua surda cæcaque sunt, & rationis indiga, vt in Epicharmi versu est apud Plutarchum. Sic Reipublicæ anima est, tanquam corporis cuiusdam, lex ipsa: quæ, vt Cicero ait, fundamentum est libertatis, fons æquitatis, mens, & animus, & consilium, & sententia ciuitatis, cuius nutu, & auctoritate homines docentur domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, sua tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere: omnia deniq; alia agere, quæ ad salutem ciuium, ciuitatumq; incolumitatem, vitamque hominum & quietam & beatam pertinent, sine qua nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum genus vniuersum stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest, vt passim docet M. Tull. Cicero. Sic & Demosthenes scribit, πόλεως ψυχὴν εἶναι τοὺς νόμους: leges, ciuitatis animam esse: ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα στερηθὲν ψυχῆς πίπτει: οὕτω καὶ πόλις μὴ ὄντων καταλύεται: Quemadmodum exanime

cor-

corpus corruit, sic ciuitas sine lege non consistit, eodem Demosthene auctore. Quod & Cicero testatur pro Cluentio: Vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege, suis partibus, & neruis, ac sanguine, & membris, vti non potest. Et quoniam rex est viua lex, seu, vt Græci loquuntur, νόμος ἔμψυχος ὁ βασιλεύς: ea demum Respublica fœlix est & beata, cuius, veluti corporis, animus & cor est optimus rex aut princeps, sicut & is exercitus demum fœlix est & beatus, cuius tanquam caput & pectus est dux, aut Imperator optimus. Quoniam, vt Q. Curtius scribit, militaris sine duce turba CORPVS EST SINE SPIRITV: aut, vt Horatius, bellua multorum capitum, quæ cyclopum est Respublica, vel potius ἀναρχία, in qua, secundum Euripidem, ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός, nemo cuiquam vlla in re obtemperat, sed ex libidine geruntur omnia. Nam, vt in Græco versu est,

ἰσχυρὸν ὄχλος ἐστὶν, οὐκ ἔχει δὲ νοῦν:

Robusta res est turba, mente sed caret:

Et secundum Pindarum, τυφλὸν ἔχει ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος: Cœcam habet mentem pars mortalium maxima. Sic Epaminondas ille Thebanus, magno exercitu conspecto, sed sine duce: Dii boni (inquit) quanta bellua sine capite: aut, vt Græca verba habent, ἡλίκον θηρίον, καὶ κεφαλὴν οὐκ ἔχει. Chabrias autem dux, formidabiliorem esse dixit ceruorum exercitum, duce leone, quàm leonum, ceruo duce, sentiens nimirum, totam belli fortunam à virtute prudentiaque ducis pendere.

Symbolum XLIV.

FL. LEONIS. VI.



[Golz. Quò mihi fortuna, si non conceditur vti.]

QVO FORTVNA *tibi, bene* SI NON VTERIS *illa?*

Non vis aut cumulus, sed beat vsus opum.

BEne & sapienter Heraclitus dixit, teste Plutarcho: ἦθος ἀνθρώπῳ δαίμων, id est, mores hominis Deus, siue fortuna. Et Pacatus in Panegyrico: Sua cuique prudentia Deus. Cum quo congruit Ouidianum illud:

-----Sibi quisque profecto
Est Deus: ignauis precibus fortuna repugnat.

Nam, vt in Thelesiaco Carneadis est, omnis fortuna in sensu sapientis habitat, & sicut sapiens Poëta dixit.

Suis cuique fortuna fingitur moribus.

Et notum est Græcorum prouerbium: πόνῳ ἀποκρίνει τύχη: *Par est fortuna labori.* Sic fit, vt talis cuiusque sit fere fortuna, qualis est vita cuiusque & animus, qui ea vtitur. Nam & fortunæ ipsius *bona perinde esse*, dicit Comicus, *vt illius est animus, qui ea possidet: Qui vti scit, ei bona sunt: illi, qui non vtitur recte, mala.* Quippe, vt Bernardus ait, aurum & argentum & cætera huiusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala: vsus tamen horum bonus, abusio mala, solicitudo peior, quæstus est turpior: Et, vt Publius,

Bona imperante animo fiet pecunia.

Itaque fortunæ muneribus non temere fidendum, sed recte vtendum est, vt Sallustius monet. Nam vt gubernatoris est, omni se ventorum mutationi accommodare, ita viri sapientis est, omni fortunæ se præparare. Sic enim Aristonymus scribit apud Stobæum: κυβερνήτου μὲν ἔργον ἀγαθοῦ εἰς τὰς τῶν πνευμάτων μεταβολὰς ἁρμόσασθαι: ἀνδρὸς δὲ σοφοῦ, πρὸς τὰ τῆς τύχης.

Quod & Horatius docet in Epistolis:

Tu quamcunque Deus tibi fortunauerit horam,
Grata sume manu: nec dulcia differ in annum:
Vt quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas.

Et in Odis:

Dona præsentis cape lætus horæ.

Item:

Lætus in præsens animus, quod vltrà est,
Oderit curare: & amara lento
Temperet risu; nihil est ab omni
Parte beatum.

Nam verum est Socratis illud, qui eos demùm fœlices & fortunatos esse putat, οἷς καὶ φρένες ἀγαθαὶ καὶ λόγος πρός ἐστιν, hoc est, quibus & bona mens & ratio

inest: Quemadmodum & Diogenes veram esse fœlicitatem eam tradit, quæ facit, vt mens & anima in perpetua sit tranquillitate & hilaritate: εὐδαιμονία (inquit) ἀληθινή ἐστι, τὸ τὴν διάνοιαν, καὶ ψυχὴν ἀεὶ ἐν ἡσυχίᾳ, καὶ ἱλαρότητι διατρίβειν. Sic & Xenophon scribit, fœlicitatem esse, τὴν πολλὰ ἔχοντα, πολλὰ καὶ δαπανᾶν: multa habere, & sumptus inde facere, significans nimirũ, finẽ diuitiarum esse, οὐ τὴν κτῆσιν, ἀλλὰ τὴν χρῆσιν, non possessionem, sed vsum. Nam, vt Iustinus ait, ibidem diuitiarum cupido est, vbi est vsus: quod Aristoteles etiam docet in Rhetoricis: τὸ πλουτεῖν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ κτῆσθαι ἐστὶν: Diuitem esse, magis in vsu, quam in possessione, consistit. Et Hippodamus in libro de fœlicitate: οὐ μόνον τὴν κτῆσιν ἔχειν δεῖ τῶν καλῶν, ἀλλὰ καὶ τὴν ὄνησιν: non solùm possessionem, sed fructum quoque rerum bonarum habere conuenit. Sic & Xenophon in Cyro, non eos, qui pecunias plurimas possident & custodiunt fœlices æstimat, (nam hoc pacto muros qui custodiunt, fortunacissimi forent, quippè qui omnia, quæ sunt in vrbibus, custodiunt:) sed qui parare quàm plurimas iuste potest, & plurimis præclare vti, eum ipse fœlicissimum arbitratur, atque etiam ipsas eius pecunias. Et Isocrates ad Demonicum: ἀγάπα τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν μὴ τὴν ὑπερβάλλουσαν κτῆσιν, ἀλλὰ τὴν μετρίαν ὑπόλαυσιν: Ama bonorum non ingentem copiam, sed fructum moderatum. Et paulò post: πειρῶ τὴν πλούτων χρήματα καὶ κτήματα κατασκευάζειν: ἔστι δὲ χρήματα μὲν, τοῖς ἀπολαύειν ἐπισταμένοις: κτήματα δὲ, τοῖς χρῆσθαι δυναμένοις: Da operam, vt diuitiæ & vsui & fructui tibi sint: Sunt autem iis, qui frui sciunt, vsui: iis verò qui vti sciunt, fructui. Nam, vt Ciceroni placet, expetuntur diuitiæ, tùm ad vsus necessarios, tùm ad perfruendas voluptates, in quibus autem maior inest animus, in his pecuniæ cupiditas

spectat

ſpectat ad opes, & ad gratificandi facultatem. Sic Horatius:

Non poßidentem multa vocaueris
Recte beatum: rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati:
Peiuſque letho flagitium timet.

Quod ſane qui facit, is, vt Poëta idem canit,

Sibi res, non ſe rebus ſubmittit:

Et, vt aliàs ſcribit:

---valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat vti.
Neque enim tunc eſt *corpus ſine pectore, Dii cui mentem,*
Dii cui diuitias dederunt, artemque fruendi:

eodem Flacco auctore. Sic Pindarus in Pythiis: τὸ πλουτεῖν (inquit) σὺν τύχα πότμου σοφίας, ἄριστος. Opes cum ſapientia coniunctæ, optimæ. Et paulò pòſt: ὁ πλοῦτος εὐρυσθενὴς,

ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμένον καθαρᾷ βρητήσιος ἀνὴρ πότμου παραδόντος, αὐτὸν ἀνάγῃ πολύφιλον ἐπέταν: hoc eſt, Magnarum ſunt virium diuitiæ, cùm quis eas cum virtute vera coniunctas habet, fortunæ beneficio, multis futuras gratas & vtiles. Recte enim Cicero pro domo: Caduca (inquit) ſemper & mobilia hæc eſſe duxi, non virtutis atque ingenii, ſed fortunæ & temporum munera, quorum ego non tàm facultatem vnquam & copiam expetendam putaui, quàm & in vtendo rationem, & in carendo patientiam. Sic Menander:

οὐπώποτ' ἐζήλωσα πλουτοῦντα σφόδρα
ἄνθρωπον, ἀπολαύοντα μηδὲν, ὧν ἔχει:

Pra-

Prædiuitem nunquàm beatum dixerim,
Qui ritè non audet bonis vti suis.

Et Euripides in Antiopa:

εἰ εὐτυχῶν τις, ὃ βίον κεκτημένος
μηδὲν δόμοισι τῶν καλῶν πειράσεται:
ἐγὼ μὲν οὔποτ' αὐτὸν ὄλβιον καλῷ,
φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα:
Si diues & fortunatus quis, nil domi
Aut liberale, aut egregium faciat foris:
Nunquàm profectò illum beatum, sed bonum
Custodem opum fortasse rectè dixero.

Nam, vt vetus ait Poëta:

Pecuniæ imperare, non seruire conuenit.

Qui enim diuitiarum seruus est, diuitias custodit, vt seruus, qui autem seruitutis discusserit iugum, eas distribuit, vt dominus, teste Ambrosio. Vnde Seneca in Epistolis, diuitias apud Sapientem in seruitute esse, apud stultum in imperio asserit. Quò etiam pertinet sententia Cornelii Galli:

Quid mihi diuitiæ? quarum si dempseris vsum,
Quamuis largus opum, semper egenus ero.
Immo etiam pœna est, partis incumbere rebus,
Quas cùm possideas, est violare nefas.
Non aliter sitiens vicinas Tantalus vndas
Captat, & appositis abstinet ora cibis.

Item & hoc Palladæ Græcum Epigramma in κακόπλουτον scriptum:

πλοῦτον μὲν πλουτοῦντος ἔχεις, ψυχὴν δὲ πένετος:
ὦ τοῖς κληρονόμοις πλούσιε, σοὶ δὲ πάνης!
Pauperis est tibi mens, sed opes sunt diuitis ampla,
Hæredi diues, pauper es ipse tibi!

Nam, secundum Horatium:

Perpetuus nulli datur vsus, & hæres

Hæ-

Haredem alterius, velut unda superuenit undam.
Cuiusmodi diuites, parum cordatos, Diogenes vel κρὰς χρυσομάλλας, vel χρυσοῦ πρόβατα vocat: Isocrates verò confert eos malis & imperitis equitibus, qui bonos habent equos. Sed & eiusmodi diuitias non male quidam arboribus in præruptis saxis nascentibus comparauit, quæ non hominum vsibus, sed coruis & vermibus seruirent.

Symbolum XLV.

FL. CONSTANTINI VI.



[Golz. Fœminæ naturam regere, omninò est desperare.]

FOEMINAE MORES REGERE, OMNIVM *hoc* EST
Velle DESPERARE, *ferenda nempe,*
Aut magis tollenda mala est voluntas
Fœminæ si fers, melior videris
Tute; sin tollis, probior fit ipsa:
Laudis vtrumuis decus hoc meretur.

Publi-

PVblianum & hoc est Symbolum, quod alias Senecæ quoque adscribitur:

FOEMINAE NATVRAM REGERE, DESPERARE EST OMNIVM.

Quo docetur illud, rem desperatam esse quodammodò, & factu admodum difficilem, mulieris regere ingenium: quandoquidem, vt Seneca ait, mulieri imperare non concedit natura, quæ secundum Euripidem: ἄλλων πάντων δυσμαχώτατων, inter omnes res alias maximè inexpugnabilis est. Nam, vt Aristophanes scribit in Lysistrate,

οὐδὲν ἐστι θηρίον γυναικὸς ἀμαχώτερον:
οὐδὲ πῦρ, οὐδ' ὧδ' αὐαιδὴς οὐδεμία πάρδαλις:

Id est, nulla fera minus expugnabilis, quam mulier, neque ignis ipse, neque vlla pardalis tam impudens; Sic Menander:

πολλῶν κατ' γὴν, ἐκ τῆς θάλλατταν θηρίων
ὄντων, μέγιστόν ἐστι θηρίον γυνή:
Tot cùm mari terraq; sint passim feræ,
Fera omnium ipsa maxima extat fœmina:

Et Euripides in Phœnice:

γυνή τε πάντως ἀγριώτατον κακόν:
Malum efferatum maxime vna est fœmina.
γένος γὰρ οὔτε πόντος, οὔτε γῆ τρέφει τοιόνδε:

Vt idem Comicus scribit in Hecuba. Quippe quæ secundum Menandrum χειμὼν κατ' οἴκους, domus tempestas, & ἰὸς ἀσπίδος, aspidis venenum, & θησαυρὸς τῶν κακῶν malorum thesaurus passim appellatur; sicut & Senecæ in Hippolyto *mulier* dicitur *dux malorum, & scelerum artifex.* Nam, vt idem in Octauia scribit,

Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum ad nocendum pectus instruxit dolis:
Sed vim negauit, vt ne inexpugnabilis

Esset

Esset, sed ægras frangeret vires timor.

Sic Plautus in Milite:

Quid peius (inquit) *muliere atque audacius?*

Et in Truculento:

Male quod mulier facere incepit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est: ea illi miseræ miseria est,
Si benefacere incepit, eius eam citò odium percipit:
Nimisque paucæ sunt defessæ, malè quæ facile occeperunt:
Nimisque paucæ efficiunt, si quid occeperint benefacere:
Mulieri nimio malè facere melius est onus, quàm benè.

Nam, vt Euripides ait in Medea:

γυναίκες εἰς μὲν ἐσθλ' ἀμηχανώταται:
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται:
Ignaua mens mulieri honesta ad omnia,
At turpe superest facinus omne audacia.

Quippè, secundum Propertium,

--- verba, & componere fraudes
Hoc vnum didicit fœmina semper opus.

Ex quo & Publius ille Mimus:

Malo (inquit) *in consilio fœminæ vincunt viros:*

Quæ, vt Satyricus ait, *iram atque animos à crimine sumunt.* Quod & Democritus sensit, cùm ait: γυνὴ πολλὰ ἀνδρὸς ὀξυτέρα πρὸς κακοφραδμοσύνην: mulier multò, quàm vir, promptior est ad malignitatem & fallaciam: Etenim, vt Tullius scribit, viros ad vnumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt, mulieres ad omnia maleficia cupiditas vna ducit: siquidem muliebrium vitiorum fundamentum vnum est auaritia. Quò fit, vt, secundum Valerium Maximum,

mum, audax sit ad omnia, quæcunque amat velo-
dit, fœmina quæ artificiosa est nocere, cum vult. Ma-
xime verò, teste Satyrico:

Nil non permittit mulier sibi turpe putat nil:
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos commisit elenchos:

Sic, eodem Satyrico auctore,

Intolerabilius nihil est, quàm fœmina dives.

Ex quo non sine causa Philemon vocat mulierem per-
petuum & necessarium malum. Sic enim ait:

ἀθεώτατόν ἐστι κακὸν ἀναγκαῖον γυνή.

Et Menander:

τὸ γαμεῖν, εἰ δεῖ τὴν ἀλήθειαν σκοπεῖν,
κακὸν μέν ἐστιν, ἀλλ' ἀναγκαῖον κακόν:
Si veritas dicenda, uxorem ducere
Malum quidem est, sed necessarium malum.

Quandoquidem, vt Hieronymus ait, vxorem pau-
perem alere, difficile, diuitem ferre, tormentum est.
Vnde Lacon ille interrogatus, cur tàm paruæ muli-
erculæ maritus esset, respondit ex malis multis mi-
nus malum eligendum esse. Verùm hæc quidem o-
mnia, quæ hactenus dixi, & alia his similia, quæ in vi-
tuperationem huius sexus dicuntur, vera sunt fortas-
sis de muliere mala: quæ, secundum Chrysostomum,
omni malo peius est malum, malum nimirum (vt
idem vult) intolerabile, vipera immedicabilis, vene-
num insanabile: &, vt Ambrosius, ianua diaboli, via
iniquitatis, scorpii percussio. Quippe quæ amicitiæ
inimica, ineuitabilis pœna, necessarium malum, na-
turalis tentatio, desiderabilis calamitas, domest-
cum periculum, delectabile detrimentum, mali de-
nique natura, sed boni colore depicta est, eodem
Chrysostomo auctore. Neque enim, vt Tacitus ait,
imbecillis tantùm & impar laboribus sexus est: sed
si li-

si licentia adsit, sæuus, ambitiosus, potestatis auidus, omnium rerum libertatem, imò licentiam, si vera dicere volumus, desiderat. Date frenos impotenti naturæ, & indomito animali (ait M. Porcius Cato) nec sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis. Sed minimè tamen hæc vera sunt de muliere bona: *quæ*, vt Plautus dixit, *ingenio est bono, cui malè faciundi cùm est potestas, quæ, ne faciat, id temperat.* Verè enim secundum Menandrum.

τιμιώτερον δ' ἐστὶν ἀρετῆς ἴσθ' ἁπλῶς γυναῖκα γυνή:
Virtutis est penu generosa fœmina.

Et, secundum Hippothoontem,

ἄρειον οὐδὲν κτῆμα συμπαθὴς γυνή:
Possessio bona viro est vxor beneuola.

Quo etiam accommodetur Appollonidæ illud apud Stobæum, quod Clemens in Pædagogia Euripidi tribuit:

ἐ χρυσὸς, ἐ τυραννὶς, ἐ πλέτου χλιδὴ
ϑῶπον ἔχει τὰ φάρμακον ϑῆς ἡδονῆς:
ὡς αἱ δόμοις ἐσθλοῦ τε γυναικὸς σύνεδρος
γνώμη δικαία, τ' φρόνουσα πανδικα:
Non splendor auri, non vis regni, non opum
Tantas voluptates fert luxus aut decus,
Quantas viri boni atq; fœminæ pia
Mens iusta semper & voluntas optima.

Sic igitur, vt Menander ait:

ἅπαντες ἴσμεν ὅτι δυσχροῦσιν οἱ γάμοις,
ὅτ' εὐτυχοῦσι: συμφορὰ δ', ὃς ἂν τύχῃ
κακῆς γυναικὸς, εὐτυχεῖ δ' ἐσθλῆς τυχών:
Haud nuptiis est omnibus fœlicitas:
Comes omnibus nec rursus infœlicitas:
Sed prout vxor contigit bona aut mala.

Et vt Hesiodus:

ἐ μὲν τοίη γυναικὸς ἀνὴρ λήξειε' ἄμεινον

τῆς ἀγαθῆς: τῆς δ' αὖτε κακῆς οὐρύγιον ἄλλο.

Cui respondet Sophoclis illa sententia in Phædra:

ἤτοι γυναικὸς οὐδὲν ἂν μεῖζον κακὸν
κακῆς ἀνὴρ κτήσαιτ' ἂν οὐδὲ σώφρονος
κρεῖσσον: παθὼν δ' ἕκαστος ὧν τύχῃ λέγει:

Certè malum nullum vxore est maius mala:
Sicut bonum nullum vxore est maius bona:
Vtrumque narrat hoc expertus optimè.

Et Euripides hæc in Menalippe:

τῆς μὲν κακῆς, κάκιον οὐδὲν γίνεται
γυναικὸς: ἐσθλῆς δ' οὐδὲν εἰς ὑπερβολὴν
